MARCI ANTONII NATTAE DE PRINCIPUM DOCTRINA LIBRI NOVEM...

Marco Antonio Natta

MARCI

ANTONII NATTÆ

De Principum Doctrina Libri Novem

CVM ALIIS EIVSDEM GENEris, quæ proxima post præfationem columna docebit.

Omnibus literatis, etiam ipsis Politicis, inprimis vtiles & necessarii.

RECENSENTE

ZACHARIA PALTHENIO D.



FRANCOFVRTI

Ex Officina Zachario-Paltheniana.

M. DC. III.

Nobili & Magnifico viro, Dn.

IOANNI FRIDERICO FAVST AB ASCHAFfenburg, Senatori Reip. Francofurt. S. D.

ZACHARIAS PALTHENIVS D.

LIBELLVS hic de Institutione & Doctrina Principum, Vir Prudentißime, nuper ad me manu exaratus, squallore & sittybis obsitus, delatus agnoscit parentem M. Antonium Nattam, celeberrimum illum Iurisconsultum Italiæ. Prælo verum antea excusus, mihi non liquet: cum nulli, nec qui non ita pridem a Gesnero, nec recentiores ulli id me doceant catalogi. Manuscriptum ad me delatum non potui quin mea opera & cura, nitidiore forma, nouaque, ut ille ait, pumice expolirẽ, atq; primitus si-

ue publica luce donarem, ſiue ad incudem iterum reuocarem. Omnes enim neruos in id vnice tendo, vt rei literariæ meo quali quali labore ſi non prodeſſe, attamen nec obeſſe videar. In hoc ipſo autem opuſculo velut in κατόπτρῳ videre eſt, qualis eſſe debeat princeps, qualem ſe gerere erga Deum & homines, qualẽ erga ſe, & alios. qualem erga Conſiliarios & aulicos, qualem erga ſubditos, qualem deniq; aduerſus exteros, ſiue ii ſint vicini, ſiue procul ab oris remoti: iique ſiue amici, ſiue inimici. Et ſane ea doctrina non hoc modo, ſed multis retroactis ſeculis ſumme neceſſaria fuit omnibus Principibus, proceribus & magnatibus Imperii: quippe ſine qua nec bene regnare, nec populum ſubditum feliciter & cum laude gubernare poſſint. Et ſane cum natiuitas (etiamſi Deorum nomine in ſacris nominitetur Principes,)

pes.) vllam ſcientiam rerum politicarum Principi non tribuat, nec conferat, nedum adimat naturam humanã, ſtultitiæ & errori obnoxiam, (Petr. Greg. Tholoſ. de Repub. lib. 6. ca. 3. §. 3.) ſed potius præbeat occaſionem: quis conſcriptiones doctorum virorum de vita Principum ſalutariter informãda, de politia recte inſtituenda, non ſumme neceſſarias, nõ extreme proficuas agnoſcat? Icc irco operæ pretium me facturum exiſtimans prælibatum Nattam operarum meorum tam ſedentariorum quam ſtationariorũ manibus ſubieci: & in eam, qua vides, formam, redegi. Tibi autem vir Prudentiſsime, quod dicem & cõſecrem, quæ me impellat cauſſa, forte quæres. Non ea quidem leuis, ſed ardua Politicum enim te ex aliquoties inter nos iterato colloquio & cõgreſſu noui: noui harũ rerum cognitionem tibi ac-

cidere iucundam oppido & gratam: noui quotidie te in ea perfecte acquirenda totis viribus ingenii desudare: noui quanta alacritate & dexteritate singula legas, lecta recondas, recondita iterum depromas. Quare & hũc paruum libellum hilari ac serena frõte accipito, degustato, & vt sapiat aliis notum facito. Vale & me amare perge. Dabam in meo Paltheniano, Calend. Septemb. 1602.

Elenchus Librorum.

MARCI ANTONII NATTÆ DE PRINCIPUM doctrina libri Novem.

I.	Liber.	1.
II	Liber.	36.
III.	Liber.	78.
IV.	Liber.	117.
V.	Liber.	158.
VI.	Liber.	182.
VII.	Liber.	211.
VIII.	Liber.	251.
IX.	Liber.	290.

Plutarchi Chæronẽsis commentariolum de Principum doctrina, Erasm. interpret. 329.

Plutarchi Chæronensis cõmentariolum cum Principibus maxime Philosophũ disputare debere. 341.

Ecphantes Philosophus.

Non debet, qui aliis imperat, illum ignorare, a quo regitur.

Prouerb. 8.

Per me Reges regnant, & principes recta decernunt.

MARCI

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS

De Principum Doctrina libri nouem.

PROOEMIVM.

VETERVM quondam sapientum fuit sentẽtia, homine improbo & iniquo nullam esse feram truculentiorem, truculentissimam autem bestiarum omnium esse Tyrannum. Quam sane sententiam verissimam esse, non aliunde melius, quam experimentis quotidianis, docemur. Nam si quis reputare secum voluerit & animo euoluere, quæ viderit ipse, quæ legerit, quæue audierit, inueniet nulla naufragia, nulla incendia, nullas pestes, nullas eluuiones, nullos terræmotus, tot humana corpora absumsisse, tot vrbes nationesq; deleuisse, quot bella exstinxerũt, quę libidine dominandi hominibus per homines importantur. Tyrannos vero quis dubitauerit non summam af-

ferre perniciē rebus humanis? quum videat id hominū genus in proximos, in longinquos, in ſuos, in alienos, cædibus rapiniſque bacchari? nullis parcere, dummodo expleant quodcunque cōcupiſcant. Nulla peſtis nocentior, quam vbi infinitæ libidini ſumma adiuncta eſt poteſtas. nam nō modo non veretur, ſed etiam appetit lædere: nec rei expediendæ difficultas quicquam moratur. Vnde autē tanta exſiſtat libido nocendi, quæri poteſt: aliis aliud cauſantibus. Ego quidem exiſtimo, atq; adeo iudico inſcitiam huius rei eſſe ducē. Non enim illi male ſibi rebuſque ſuis conſulere arbitrantur, dum animo ſuo morem gerunt, deliniti ſpecie præſentium bonorum, nihil in poſterum proſpicientes, & ignorantes quam grauē, quamque ſanctam ſuſtinere debeant perſonam, quicunq; pręſunt regendis vrbibus, & tēperandis morib. populorum, & quantum conducat non modo his, quos ſub ſe habent, verum etiam ipſis dominantibus, iuſte imperare. nam ſi hoc ſcirent, idque animis eorum penitus

nitus

nitus insideret, nō adeo nomini, gloriæ, bonisque suis inuiderent, seu potius hostes essent, vt his cōtraria moliri vellent: sed premit eos inscitia rectarum artium, ingenuarumque disciplinarum, ita vt pręcipites in omnia mala, nemine auxiliante, ferātur. Etenim cum humanus animus actionum sit suarum dominus, & hæc vel illa possit libere deligere, & ad quæcunque velit, sese inflectere: nonne vbi, quod deterius est, delegit, dicetur inscienter delegisse? vel nullum potius esse delectum? Cum verus delectus consistat medius inter duo pluraue forte æqualia, vel aliter inter se distantia bona: quorum vnum post deliberationē apprehenditur, quodcunque ex illis magis placuerit: non sic, vbi bonum est vnum, malum alterum. Nam si tunc malum apprehenditur, nullo dicetur apprehensum delectu, sed stupore mentis, vel inscitia potius singulari.

Non enim appetitus est mali, nisi vt fugiatur: Sin autem, vt bonum apparens capitur, manifestum est, de-

ceptionem illic ignorationemq; versari. Vituperanda igitur inscitia est, & laudanda doctrina: quæ si gloriosa est in priuatis, quanto clarius in principibus elucebit?

Nota est Platonis vox prædicantis: Beatas fore illas respublicas, vbi Philosophi regnarent, vel reges Philosopharentur. In quam sententiam ierunt posteriores, quicunque de legibus, de Republica, de regno, de iustitia, de temperantia, deque aliis virtutibus ad morum sanctitatem spectantibus scripserunt. Non enim illa oblectandi ocii gratia scripserunt, sed vt monerent, erudirent, docerent: non illi summas potestates contemserunt, easq; temere in quælibet ferri voluerunt: Illud indicat, q priuatim quoque summis Regibus & Principibus præcepta cohortationesq; per epistolas aut libellos miserunt. Illud porro est deridendũ, si existimet quispiam, maximas res sine doctrina tractari posse: cum ne minimæ quidem sine ea recte valeant administrari.

Interrogatus Aristoteles quantum docti

docti differant ab indoctis: Quantum (inquit) a mortuis viuentes: Tantum ille tribuit doctrinæ, vt sine ea vitam nostram nullam esse duceret. Eodem tendit Biantis dictum, qui interrogatus, quantum differat prudentia a reliquis virtutibus; Quantum (inquit) visus a reliquis sensibus. At sunt, qui existimant, doctrinam regibus & vrbium prouinciarumq; dominis non conuenire, turpissimo errore. Nam cum naturalis sit amor libertatis, magnum est efficere, vt quis alteri seruiat libenter: nullũ animal homine contumacius, arrogantius, insidiosius: ideo non aliud maiori arte tractari debet: artem autem præceptis doctrinæ constare fatendum est. Pręterea, cum superior ille locus tributus sit principibus, vt Reip. consulant & vtilitatibus populorũ: nonne res ipsa clamat, sine doctrina, & maxima quidem doctrina, id perfecte cumulateque effici non posse? Verum quoniam de his latius colloquutus sum cum Io. Baptista Natta fratre germano, & Alberto Carreto sororis patruelis filio: decre-

ui collocutionem illam totam literis mandare: qua in re non existimo officium hoc meum scribendi in aliquo culpari posse, quoniam nō alio respiciens scribo, quam vt prosim hominibus, quoquo modo possim. Non ego ab ineunte ætate pilis, gladiis, castris, aut aliis militaribus studiis me tradidi. Literas sequutus sum, ingenia veterum sapientum tractaui, & curę fuit discere nonnulla, quę illi in publicum vsum protulerunt, & nota omnibus esse voluerunt: Scribendi etiā aliquid me tenuit solicitudo. Quamobrem si hac de re dicēdum est aliquid, dicam cum Peligno Poeta:

Hæc mea militia est, gerimus, quæ possumus arma:
Dextraq; non omni munere nostra vacat.

Neq; vero profiteor me nouarum rerum inuentorē: satis habeo si vetera quædam cultu orationis reddere blādiora, vel collectione dispersorum vberiora efficere possum. Sed iam ad collocutionē ipsam veniēdum, quam ita exponam, quemadmodum vltro citroque commeauit ternis personis, veluti, in scena introductis. Hæc sen-
tentiam

tentiam plenius meam, quam de doctrina principum teneo, plenius explicabit.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS, DE PRINCIPVM DOctrina Liber primus.

Dialogi Personæ.

Albertus Carretus, Ioan. Baptista, & Marcus Nattæ fratres.

MARCVS.

LVcus hic ſane denſus & aſper, poterit nos commode, vt opinor, a meridiano ſolis feruore nunc protegere. Videtis quam ſuauis iſte ſit & amœnus locus; hinc viride ſpectamus ſolum: illinc variis depictum florum coloribus; inde riuulum argenteis laſciuientem vndis, & veluti per lęta fugientem gramina: harum autem arborum, in quincuncem directarum frondentibus comis nihil poteſt eſſe feſtiuius. Itaq; (ſi libet) hac ſub arbore quieſcamus, æſtus vitandi gratia. Ego

hic nobis cœnulam parari constitui; nam iussi obsoniũ huc afferri? coquos & ministros cum vasculis sequi. Alb. Amœnus sane, (vt dixti Marce) locus. Ego talem agrum his in regionibus non expectabam. Mar. Naturæ hæc sunt opera, Alberte, ingenua. Illa vero, quæ miramur in vrbib. marmorea pauimenta, aurata lacunaria, & fulgentibus obductos crustis parietes, hæc cedẽt omnia veluti ascititia quædã his genuinis naturæ delitiis. Nunquam studia nostra atque artes vincent naturã, seu potius naturæ omnis artificem, qui omni æuo, omniq; sapientia prior, sponte, quod melius erat, delegit, eoq; nos donauit; nec inuidit tamen, si humana industria illius opera imitari vellet, imo vt imitaretur dedit. Verum, vbi ea venerint in cõtentionem cum alteris, tam facile superantur, quam ficta a veris superari solent. Alb. Scio, & te de his quandoque scripsisse memini. Estque de his etiam apud veteres Hebræorum interpretes, quos illi Talmudistas vocant, multus sermo, dum hac ratione

omnium

mnium naturalium rerum opificem
)eum cõmendare ſtudent. MAR.
)portune, Alberte, a te illata eſt mẽ-
io de Hebræis. Nam verum eſt pro-
ecto, quod olim audierã te Hebrai-
as literas didiciſſe ſub idoneis præ-
eptoribus. Allatum eſt te adeo in ap-
ellatione harum literarum & cogni-
ione earundem excellere, vt parem
x illa gente habeas fortaſſe aliquem,
uperiorem certe neminem, quæ pro-
incia, quã ſit difficilis, teſtatur Hie-
onymus, dum ſe ſæpius tentaſſe, ſæ-
ius conatus ſuos abieciſſe, & quan-
loq; de victoria deſperaſſe ſcribit, &
andem per immenſum laborem pe-
agus volutatum voti compotẽ reddi-
um, & de amara radice dulcia poma
ecerpere. Tu vero adhuc iuuenis
ucciſiuis (vt aiunt) horis huic vacans
ogitationi, adeo omnes euiciſti dif-
cultates, vt te ſum̃i etiã illi Hebræo-
um magiſtri dicentem admirentur.
ALB. Dicã tibi, Marce, vt res habet.
go Hebraicæ linguæ ſtudio ſemper
lagraui, qua & Dominum Ieſum, &
anctiſſimã eius genitricẽ Mariam, &

Apoſtolos denique omnes loquutos accepimus, & qua veteris legis arcana ꝓdita ſunt. Nec vlla mihi eius rei melior effulſit occaſio, quã Mantuæ, quo profectus, dum aulæ inſeruio, nactus ſum magiſtros, quales optabam, & quamuis multis interim premerer incommodis, nullum tamen mihi elabi patiebar diem, quin cum eis aliquid ad illarum literarum diſciplinam pertinens commentarer. Itaque quantum in his profecerim, aliorum ſit iudicium. Me certe nũquam huius voluntatis meæ pœnituit. MAR. Rectiſſime tu quidem, Alberte, qui, etſi ſum̃o natus es loco, maiorumq; ſtemmate fulgeas, atq; opib. inter noſtrates abundes, tu tamẽ his & talibus fortunæ bonis literarũ ſtudia anteponis. Sed vt tu laudandus, qui hæc inſequeris, ita vituperandos duco nonnullos reges & principes ciuitatum, qui literis non modo non vacant, ſed eas omnino reiiciunt & cõtemnunt. ALB. Velim, Marce, poſtquam delapſus es huc ſermone, vt vituperandos ducas principes ciuitatum, qui literas reiiciunt

unt & contemnunt, liberet tibi hac
e re latius aliquid disserere, altus ad-
uc dies, qui odiosus erit, si fuerit o-
osus. Dictum est antiquitus: Co-
ies facundus in via, pro vehiculo est.
t in sessione comes facũdus pro lu-
is fuerit & spectaculis. Materiam vi-
es propositam facilẽ valde & expli-
atam: in qua non tu modo, qui elo-
uentia polles, sed quiuis rudis & im-
olitus possit esse disertus. MAR. Fa-
iam, quod te velle video, Alberte,
modo idem fratri placeat. Non enim
ter viros tam arcta sanguinis neces-
tudine coniunctos decet excusan-
o aut dissimulando tempus terere:
uin quicquid possis, id cõfestim præ-
es. Equidem nõ solum ingenio tuo,
lberte, quod in te præstans & excel-
ens est, affici debeo, verum etiam co-
natione. Nam qui tibi auus mater-
us, idem mihi patruus fuit: & quam
u matrem, ego sororem patruelem
ocabam; itaq; quolibet impelli pos-
um, vel solo tuo digito. Specto tamen
vt dixi) Baptistam, & attendo quid
elit. BAPT. Mihi quoque idem,

quod Alberto placuit probatur, iam diu eſt, quod nihil tuorum vidi aut legi. Itaq; nunc iuuabit audire loquentem. Quanquam autem Albertus dixerit, materiam eſſe facilem & explicatam, diligentius tamen cenſeo diſſerendum ob ſententiarum diſſonantiam. Nõ enim pauci ſunt, qui putant principibus viris indecoram eſſe in literis moram: hanc ſacerdotibus tantum & Iuriſconſultis aptarunt. Alb. Non mentiris Baptiſta, ego id quotidie experior, & vehementius expertus ſum antea. Non enim externi tantum, ſed quidam etiam ex affinium & amicorum numero me a literarũ ſtudiis abducere conati ſunt, præſertim vbi ad Hebraicarum literarũ cognitionẽ deflexi: quos ego tamen omnes conſtantiſſime repuli, & in ſententia permanſi. Mar. Non me latet hæc opinionum diuerſitas, & eam ſum ſæpius deteſtatus. Alb. Iam palam eſt, Marce, te de his rebus aliquando cogitaſſe. Mar. Cogitaui equidem, ſed nõ ſine ira & indignatione, & magno animi motu. Alb. Dic quæſo,

quid

iid te cõmouerit? MAR. Quũ pro-
ɔſitum eſt vtrũ oporteat viros Prin-
pes, qui imperio, potentia, diuitiis
ɔrent, grauiorum ſtudia diſciplina-
ım & ingenuarum artium literas ſe-
ari: & video hominum inter ſe diſ-
ntire ſententias, aliis id præclarum,
ɜl neceſſarium potius cenſentibus,
iis minime, fieri nõ poteſt, quin ve-
ementiſſime perturbet, quoniam in
ɔ, quod vtilitatem fert omnibus, o-
ınes conſentire oporteret, non au-
:m alios ſic, alios aliud putare. Vtile
ıtem dico eſſe omnib. Principes eſ-
: doctos, & cunctis bonis artibus ab-
ndare, quandoquidem publicam il-
ſuſtinent, non priuatam perſonam,
uod ſi vtile id eſt omnibus, ergo vti-
: quoque his, qui diſſentiunt, fieriq;
l negligunt: nõ enim tam ſtulti ſunt,
t eximant ſe de omnium numero, ſic
.t, vt illi non vtilitatem modo com-
nunem, ſed propriam quoq; ſenten-
ia ſua conuellant. Quod ſi improui-
le id faciunt, monẽdi: ſi ſtudioſe, cor-
igendi: ſi pertinaciter, relinquendi.
ied viderint ipſi quid agant, & quo

ſententiam ſuam referent. Ego quod falſa ſit penitus noui, ſed ſi vera eſſet, effeciſſet, vt me in tenui humilique fortuna natum atque educatum minus moleſte ferrem: quoniam quibuſuis Imperiis, opibus, honoribus literas, quibus vacaui & aſſidue vaco, præſtantiores duco. Sed num intelligunt, Alberte, qui literis carent, ſe pulcerrimo & præſtātiſſimo Dei munere carere? Alb. Ego intelligere non puto: nam ſi intelligerent, tam ſupine non errarent. Mar. Ergo fingamus nobis hos adeſſe, & veluti ignaros, vel non ſtudioſe errantes, doceamus, & in viam veritatis dirigamus, atq; ita ipſos alloquamur. Alb. Sic videtur faciendū. Mar. O viri optimi, quid venit vobis in mentē literas contemnere & reiicere, ignorātes quantum id ſit Dei munus, & quā oportune mortalib. conceſſum. Nā ſi in homine animantium omniū ſpecioſiſſimo id p̄cipue elucet, ꝙ cogitationes mentis voce aperire & ꝓmere queat, partē laudis huius & dignitatis ferunt literæ, quibus cōſiliorum & inuentorum

m nostrorum significationem tra-
:re possumus, non præsentibus tan-
.m, sed etiã absentib. nec natis mo-
o hominibus, verum etiã nascituris.
[æc vox, quæ cũ aere effluit verbera-
), pstare nequit. Quid ea pars huma-
i animi, quæ meminimus, nõne sub-
diũ a literis aduersus obliuionẽ peti-
it? quã multa nos fugissent cognitio-
e dignissima, nisi vinculo literarũ in-
:ɛ̃to custodirentur, & sub potestate
ıentis assidue tenerentur? Quid por-
) præstabilius, quam omnium retro
xcellentissimorum ingeniorũ com-
otes fieri? Nam cogitationes doctis-
morum quorumcunq; literis inscul-
tas perinde noscimus, ac si cum diui-
is illis viris viuere & familiariter col-
)qui licuisset. Sic artes omnes, a par-
is primũ initiis progressæ, addẽtibus
ıultis ad ea, quæ antiquitus accepe-
ant, & addita rursus scribẽdo ad po-
teros transmittentib. adiutæ sunt co-
ia & dignitate inuentorũ, & in sum-
nã tandẽ pfecerũt, & quomodo scri-
torũ beneficio illustratę & auctę fue-
ũt, sic etiã incolumes manserũt. Gra-

tissimum est nominis nostri memoriam transfundi in venientia secula cum gloria, nemo scribat aliquid, & perpetuum sit in literis silentium, pari fere spacio fama hominũ, quo vita, finietur, & frustra tantã cupiditatem diuturni nominis humanis pectoribus natura infuderit. Quid hominum sine literis dixi ignotissima fore nomina? imo ne montiũ quidem, fluminum, vrbium, regionum, notitia vlla longius penetrabit. Sunt igitur literæ vocum vincula, mẽtium indicia, memorię subsidium, gestorũ vita, artium custodia, disciplinarũ receptaculum. famæ sedes. Quamobrem quæso literarum notitiam capite, & multa illic posita nec pigeat didicisse, quæ magno postmodum vsui futura sunt vobis ornamento. Hæc ad illos mea esset oratio, qua si commouerẽtur, non tam mihimet, qui suasissem, quam ipsis, ꝙ suasi essent, gratularer. Non enim qui recte suadet, efficitur melior, sed qui suadetur. Alb. Vere nũc a te, nec eleganter minus, laudatæ literæ: de quarum dignitate, fructu, ro-

ı, robore, & vtilitate tanta dixiſti. ıq; quemlibet hæc tua verba cómo- re poſſent;ſed hæc adhortatio non agis eſt ad reges & alios ſummates ros, qui clauo præſident ciuitatum, ıam ad rudes quoſcunque & impe- :os. Ego illos magis vrgendos ꝓpriis nſeo argumentis, quam communi- ıs. Nam ſic eos magis commoueris, nodo ad illorum aures hæc tua vn- ıā perueniet oratio: & maiori id e- ım tibi fuerit gloriæ. Nam propria ımunibus omiſſis adducere, intelli- ntis eſt viri: & maiorē hæc fructum pecta, quā illa, afferūt. MAR. vis me, lberte, vt audio declamare aduerſus ›s principes, qui literas neſciunt, vel ›tius negligūt: nec vereris me inimi- tiæ potētium obiicere: qui forſitan ſorum imperitiam a me laceſſitam rent moleſtiſſime: ſed faciendum t, quandoquidē pollicitus ſum. Du- ſane hæc prouincia, non ad dicen- ım, ſed ad cogitandum, qui nam hi, ›ntra quos dicas, vnum tamen il- d me non parum conſolatur, quod ›n adſunt: nam ſi adeſſent, me for-

ſitan purpuræ fulgor, virorum & equorum ſtrepitus, & circumfuſum Satellitium armis ſtipatum fulgentibus, omnis denique illa pompa & apparatus adeo terrerent, vt vix poſſem cogitata proferre. Graue eſt apud magnam poteſtatem dicere, etiam quum veneris ea dicturus, quæ nullam auribus moleſtiam allatura ſunt: at quum inimica & inuiſa habenda ſit oratio, num poteſt libere & vehementer is dicere: qui cogitat ſe diſplicere, & de ſeipſo præterea aliquid veretur. Ergo optime nunc contigit, quod neminem eorum video: facilior namque mihi in abſentes fuerit declamatio. A communibus autem ad iſtorum propria trãſire nihil eſt negocii. Nam ſi honeſtum & præclarum ſcire & tenere quæcunque perennibus literarum monumentis ſunt conſignata; liceat hæc etiam Principibus didiciſſe: ſin turpe & indecorum, ne priuati quidem illa condiſcãt. Leuia & inſulſa ſcripta licet contemnere, vel irridere: ſed egregia quæque volumina plena prudentię vocibus, vt contemnant, & pro

pro nihilo habeant, quo regio vel
tius tyrãnico iure id ſibi aſſumunt?
ripſerunt Plato, Iſocrates, Ariſtote-
s de Republic. de legibus, de inſtitu-
, moribus, diſciplinìſque ciuitatum;
ocuerunt, qui eſſet optimus Reip.
atus: qualis eſſe deberet, qui in illa
turus eſſet princeps. Hoc amplius
heophraſtus, quæ eſſent in Repu-
ic. inclinationes rerum, momen-
, tempora, quaue tunc moderatio
nenda.

Quæ cõſilia per illos ad ſummos vi-
s? quæ cohortationes? quæ monita
manauerunt? nullus denique ciuilis
cus non ab his perite diligenterque
actatus. Eodem in curriculo ver-
ti ſunt noſtri plures ſancti & religioſi
ri doctrina omni pollentes: qui cer-
ora etiam plura & veriora e ſacris li-
ris hauſta promere potuerunt. V-
um igitur remigibus illa ſcripta eſſe
cemus, an his qui ad gubernacula
claui ciuitatum ſedere ſolent?
Xenophon ille Socraticus ſub Cyri
erſona Regis optimi naturam, mo-
es, victum, cultumque decripſit;

quæ ſi in regno poſitus, vel qui mox Rex futurus eſt, non modo non tenebit, ſed etiam negliget, quid eſt aliud, quam in artificio proprio negligens eſſe, & peccare velle. Plutarchus, qui ob multimodam rerum cognitionem dictus eſt omniſcius, ſcripſit plena & ſolerti manu, qua nota verus amicus internoſcatur a non vero: illam leuem ac futilem beluam, cui nomen aſſentator, alienis colorib. adornatã, id eſt ſub amici perſona latẽtem ac fallentẽ retexit: quid porro principib. hac lectione magis neceſſariũ? qua cauerẽt, ne inanib. amicitię ſimulacris caperẽtur; neu aſſentatorum vocibus in vicia inducerentur. Nam cum omnia peſſimis aſſentatoribus referta, tum aulæ præcipue Principum iſtis peſtibus oneratæ ſunt, nec vlla magis, quã publica, fluenta vitiari videmus, adulationum venenis. Querimur de gladiorum, famis, & morborum iniuria humanum genus peruadẽtium, cum tamen adulatorum lingua, quæ æquitatis normã principali faſtigio inflexit, omnibus peſtibus nocentior multo & excre-

crebilior sit. Scimus quod quo ma-
res regię opes, eo plures insidiatores
unt, qui igitur modus, vt se captan-
bus auferant Principes, nisi vt ocu-
s doctrinæ assumētes veram amici-
am a simulata internoscant? Quid
storia ipsa, quam vtilis? quam dulcis?
uam mouens animum exemplis ge-
orum propositis, & ante oculos pene
epictis? Senum vtile consilium, quia
urium annorum vsu multa edocti
dentur: Historia vero innumerabi-
a secula complectens, longæuæ æta-
s vsum mortalibus affert: hanc si i-
norabit regnator, quãuis ętate mul-
m processerit, puer semper habebi-
r: quod nihil sciat, nisi quæ oculis vi-
erit, & vnius tantum ætatis, & eius
erbreuis facta tantum norit. Deniq;
um verę & eruditæ literę ad quæren-
um laudem pectus inflamment, a de-
ecore retrahant: cũ instruant scien-
a, arment eloquio: quisq; quo in al-
ori fastigio positus plurimorũ com-
oda, & vtilitatem speculari necesse
abet, & tueri eo magis in illas incũ-
ere oporteret. Etenim rectum po-

pulorum regimē necesse constet, aut arte, aut natura, aut casu. At casu nemo dixerit constare rem, quæ longe maximam & exactissimā requirit sapientiam, ac ne natura quidē: nam sic quiuis recte regeret. Relinquit igitur, vt arte constet, quam isti nunquā didicerunt, nec tenuerunt, ergo rectum ipsorum regimen non fuit nec erit. Quam stultū esset, si Gubernator nauis neminē putet remigē esse oportere, nisi qui antea remigare didicerit, credat aūt se ipsum nauē regere posse, nulla percepta scientia? At hęc, ꝙ tam egregie stultū est, faciūt isti principes. Nam neminem equis præficiunt, nisi quem antea perspexerint equorū curam didicisse: Nulli ægrotā familiam committunt, nisi ei, qui medēdi polleat artificio: Si ædificandum est aliquid, nemini id munus imponunt, nisi ei, quem norint ædificandi disciplinam assequutum. Ipsi autē existimant recte se posse gubernare populos, & tantam rerū molem sustinere, cum quomodo id fieri possit, nec ipsi per se inuenerint, nec ab aliis didicerint.

int. At licet rudes ipsi & ignari, adhi-
bent tamẽ sibi in consilio delectos &
peritos viros, ad quos singulis de reb.
referant: Quasi vero non isti sint, qui
Principes deprauare soleãt, & eorum
cupiditatibus indulgere, & optimum
it regi & nõ regere, vel parum inter-
sit, vtrum a mercenariis grex, an a pa-
tore custodiatur, & in eo tamẽ, quod
afferunt, scientes sibi ipsis adhibere
viros, fatenter scientiam in Regib. ne-
cessariam. Cur igitur hanc non adipi-
scuntur ipsi? vitant scilicet laborẽ stu-
diorum, disciplinarũ comitem, alie-
nis oculis, alienis etiam auribus vtun-
tur, & veluti per interpretes homini-
bus eiusdem linguæ consortibus re-
spondent. At exercentur equis, vena-
tioneque & aucupio delectantur, &
nonnunquam amatoriis leuitatibus
dediti, ocium terunt, noctesque ani-
ibus in fabellis, & inter muliebres
choreas & vina in lucem producunt,
quæ nemo regia duceret, sed partim
militaria sunt munera, partim ne-
quam hominũ affectus & vitiosorum.
Mihi nemo corpus voluptatis studio

exerceat, sed ob valetudinem tuendam, vel augendum robur: quanto autem magis hominis animus liberalibus artibus vegetior firmiorq; reddendus? Qualis autem est hęc sententia? putare in officio esse principem, si montes lustrarit, ac saltus peragrarit venando? si venabulo, canibus, laqueis feras insequutus ceperit, cæciderit, prostrarit: quod cum audio dici, atq; adeo fieri, etsi clemẽs esse cupio, subirascor tamen aliquando, & exclamare cogor, vt est apud Flaccum,

Proh Superi, inuersique mores.

Quid enim fœdius, quid inuersum magis dici potest, quam hominem præstantissimuum animãtium omnium, quæ natura genuisset, putare se tunc aliquid fecisse, si bestiis mutis & irrationalibus inuẽtus sit feritate maior: atque id magnum putare in principe; tanquam syluis stabulisque ferarum præpositus esset, ac non moderandis vrbibus & hominum moribus præsideret. Sit tanta in principe vis, vt feras quascunque conficiat manu cominus, vel eminus sagittis: Estne hoc quod

uod de eo expectabatur certamen? Iinime, sed aliud quoddam præstans tque præclarum, quod aduersus hoiines debet suscipere: vt scilicet dotos ipse superet doctrina, tẽperatos ontinentia, iustos æquitate, liberales nunificentia, multosque disertos vertate copiaq; dicẽdi: istud est ceramen vere principe dignum. Nam rmata manu beluarum cõprimere erociam, vel astu rationis natiuã eaundem circumuenire calliditatem, ion admodũ magnũ videtur. Si igiur mortales reliquos, quibus forma ar est, virtute animi superarit, dignisimus habebitur, qui cũctis imperet: in superare feras contendat, vi, arnis, dolo, cone ferox est, quia impeium habet in beluas, vt ait Comiis? certe non video cur hominibus mperare debeat; cum homines quiuslibet feris superiores sint; ipse autem se ad virtutem ferarum deiecerit. Videmus in vrbibus, si qui sunt, qui corpora exerceant, sicuti fabri unt, tignarii, nauicularii, agricolæ, milites, mercatores, his præfici eos,

qui ingenio, literis, doctrina, prudentia pollent. Quali igitur virtute, qua prudentia, quanto ingenio pollere is debet, qui doctis quibuscunque, & prudentibus, ingeniosisque præsidet? Enimuero summa rerum illi commissa est: iudicat ille de omnibus, nemo de illo: supremum tenet dignitatis apicem, quo nihil humani oculi vident excelsius. Quomodo igitur si referat se ad exercitationem corporis, cultum, voluptatem, neglecta animi cura, iure supremum obtinebit fastigium, si infimis digna ordinibus tractat, ac non contendat, vt principem teneat in omni animi virtute locum? Ita enim recte & ordine suberunt illi cuncta, si animo suo bene diuite & excelso cætera longe inferiora spectabit. Sin autem aliter accidit; non illum imperii insignia ornauerint, sed ille imperii ornamenta turbauerit. Fuit in Nerone ingens Musicæ aurigationisque studium: Fuit in Commodo maxima sagittandi peritia, qua singulis ictibus, singulas feras conficiebat: fuit in Maximio immensa

menſa corporis magnitudo, vaſtiſſimum robur, ita vt quinos, ſenos, ſeptenos colluctando vnus proſterneret. Quid hæc imperio, aut etiam ipſis imperantibus profuerunt? profuerunt dico? imo ridiculos ſe præſtiterunt, turpiter vixerunt, & fœde perierunt. Quid profuiſſet Mario, ſi diutius imperaſſet (nam triduo tantum imperaſſe dicitur in Galliis) quod nullius manus ad feriendum, vel ad impellendum fuerunt validiores, ita vt in digitis non venas, ſed neruos videretur habuiſſe: nam & plauſtra contra ſe venientia digito ſalutari repuliſſe dicitur: & fortiſſimos quoſque vno digito ſic afflixiſſe, vt quaſi ligni vel ferri obtuſioris ictu percuſſi dolerent; multa etiam duorum digitorum colliſione fertur continuiſſe. Proſunt vires corporis, vt fortius pugnetur, non vt melius imperetur. Recte autem exiſtimarunt quidam oportere eos, qui rerum dominantur, tantum differre a reliquis mortalibus, quãtum olim differre viſi ſunt hi, qui ob excellentiam virtutis, & præclara in huma-

num genus merita dij habiti sunt, vel heroes nuncupati. Et in apum quidem examine tale quid fit. Nam Reges longe forma corporis alios antecedunt. Sed num inter homines isti tantum virtutis præstantiam de venatione & aucupio assequi se posse confidunt? Reges quodcunque optimum penes subditos vident de fortunæ copiis, student in eo omnibus præstare. Itaque videas eos auro, argento, gemmis, equitatu, seruitio, vestibus, ædificiis, demũ preciosissimis quibuscunque abũdare, ita vt nemo subditorum in talib. se illis æquare possit, sed longe sit inferior. Cur non etiã studeant cunctis in sapientiæ studio antecellere, quo nullus thesaurus pretiosior, aut Deo gratior, aut ipsis etiam imperantibus vtilior? Alij autem quidam (de principibus loquor) egregia quæque volumina variarum gentium & linguarum ad multa millia vnum in locum diligentissime perquisita contulerunt, quæ auro etiam & argento multo ornarunt. Non reprehendo, quin laudo potius, fateor id fieri nobilita-

bilita-

bilitate animi, magnitudine etiã pecuniæ. Attamen Regium magis ac nobile dico libros intelligere, quam colligere, & paginarum ſenſus, quam ſenſuum paginas tenere. Quid enim libris precium facit? ſententiæ, quæ ab ea parte, quæ in nobis diuina eſt, erutæ diuinum etiam quiddam recinũt, non igitur beatus erit, qui ſtudia multorum parietibus incluſerit, ſed qui præclara dogmata, propter quæ ſtudiis accedit auctoritas, pectore ſuo collocarit. Gloria etiam ſibi fore ducunt Principes, vbi doctos nonnullos iuuerint, promouerint, auxerint, recte id quidem, ſed & illos doctrina pariter fulgere vellem. Nam illud quantulum eſt ſuſtentare opibus labentem paupertate ingenioſum virũ? Vlmus impomiſera eſt & infœcunda, nullos fructus edit, at vitem ſuſtinet purpureas vuas fundentem, nunquã tamen agricola magis vlmum, quam vitem, laudabit, nec vlmi, ſed vitis repertori, diuini olim honores inſtituti. Sic non tam ſpectatur, quid in altero ſuſtentes, quam quid ipſe ferre poſſis. Vide-

mus alios Principes ſtatuas ex ebore, vel marmore ductas mirari, pręſertim ſi vetuſtæ ſint, quod maior illis artificij & nobilitatis aura aſpiret: alios etiam nobilium pictorum opera delectant: Cur non etiam clariſſima ſcriptorum monumēta inſpexerint? quibus non ſolum formæ rerum, quæ videntur, ſed & hæ, quæ animis tantum cernuntur, & animis geruntur, mirum in modū ſculptæ depictæq; ſunt? An oculis tantum ad ſpectandū Principes, animo vero nullo modo vtuntur? Nonne multiplex rerū cognitio ad ſcriptorum tractationē trahere illos deberet, quam nullæ pictorum fictorumq; officinæ præſtare poſſunt. Quod ſi voluptas quæritur, an nō bono lumine fulget elaborata oratio? an nō varios habet illa geſtus & colores? quib. illi rebus in effigie corporū contemplanda tantū capiūtur. Imitentur ſane ignobiles hos artifices, quos diligūt. Illi enim tam perfecte munus eorum non obiret, niſi literas de illo artificio a ſuperiorib. perſcriptas tractauiſſent: ſimiliter fiat & a vobis, Princi-

pes:

es: Accedite ad literas has, quibus re-
mpub. moderatio, & officiorum o-
ium præscriptio cõtinetur. Quis. n.
icere audeat veteres homines pin-
ẽdi fingendiq; artẽ literis tradidisse,
egẽdi vero populos nullã reliquisse:
Multa exstant pręclara epigrammata
horum nobilium artificũ opera, ve-
ti in Venerem ἀναδυομένην Apellis, in
Myronis bucculã, & in Alexandrum
ysippi, in Doryphorum Polycleti, &
æc apud Græcos frequentissimũ est
uenire: Sunt etiam Latina quædam
iusmodi, veluti illud de piscib. pe-
s Martialem:

Artis Phidiacæ toreuma clarum.
Pisces aspicis, adde aquam, natabunt.

Item illud eiusdem de lacerta:

Inserta Phialæ Mentoris manuducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

Credo q; istos principes delectarẽt
æc carmina, quibus hæc opera ficta
lataq; ingeniose commendantur.
uid si viderent ea scriptorũ monu-
enta, quibus non corporũ, sed ani-
orũ exprimitur effigies, politissime
eruditissime cum omni suo decore
pulcritudine? nonne multo magis

ſe, cuius exemplo formare mentes ebuerunt, ſumme ſapiens ſit. Si hæc, uæ cernimus, æthereis in oris ſidera ariſſimis flammis micantia, ſpeciem uandam diuini ſimulacri mortalib. xhibere veteres putauerunt, tum ob icem, tum quod ab illis erga hæc in- riora profluunt magna quædam & ræclara bona: quãto verius effigiem ei referunt Principes imperii luce lgentes: iuſſi ab eo non corporibus ntum, ſed animis quoq; hominum ptima quæq; & ſalutifera diſpenſare. ed quomodo diſpenſare poterunt? ſi uod optimum & ſalutiferũ eſt, non ouerunt, mendaci ſpecie bonorum pti atque deluſi? Nempe multitudi- em imperitam conuenit ab vno regi portere, a quo? an ab imperito? Ergo nperitus imperitos ducet, quod tam ſurdum eſt, quã ſi cæcus cæcis du- tum præbeat. Oſtendent illi forſi- in, ſe ſine vlla literarũ doctrina tan- oneri ferendo idoneos. Vtinam id oſſint: ſed quicunque perſpexerint mores eorum, qui regunt, & eorum, ui reguntur, facile intelligẽt omnia

cæca nocte versari. De hoc etsi iam multa sunt dicta accuratius adhuc aliquid disserendũ venit. Constat namque Reipub. administrandæ ius tripliciter esse diuisum: aut enim populo competit, aut optimatibus, aut soli principi. Dicitur autẽ planius, si hoc idem tractetur, & distinguatur numero, quod ternos scilicet respublicę habeant rectores. Nam aut eas regit omnis multitudo ciuium, aut pars eorum quædam, siue secundum genus, siue opes, siue quemlibet alium modum: aut vnus tantũ, qui Græce Monarcha, latine Rex nuncupatur. Nec refert vtrum magna vel parua sit Respublica: rem enim spectamus nunc, non quantitatem, quemadmodum cum album consideratur, nihil refert quantum sit: nam paruum tam album est, quam magnum: sicut nec scapha differt a naui genere, sed mediocritate. At in qua harũ rerumpublicarum degendũ, si libera sit optio, quæri solet. Et cõstat, quod in ea, quæ optime gubernatur: nec sane difficile est cognoscere, quæ nam sit ea: nã consensu

omnium

omnium censetur esse regia: Rex aūt
uam optime gubernat Remp. si mo-
lo verus rex: plures aūt non tam bene
ustinent functionem. Hinc cum o-
nniū sit optima regia administratio,
equitur vt huic opposita Tyrannis o-
nnium sit deterrima: Pessimū igitur
ub tyranno degere, sicut optimū sub
ege. Nam illa secunda optimatiū res-
ublica, & q̄ est tertia, popularis sta-
us, etsi improbe regantur, leuius ta-
nen nocere solent ob potestatem in
lures effusam. Discerpta.n. vis mi-
ius vehemens, quam cōglobata: nec
acile extremæ improbitatis exempla
dit multitudo. Cū igitur tantū inter-
it, vtrū vnus ille moderator recte, an
ecus id agat, quantū interesse pōt in-
er pacatam & tranquillā & plane fœ-
icem subditorū vitā, & huic dissimi-
em aliam tristem & inquietam, nimi-
um si cupiam eum, qui huic muneri
olus pręsidet, virtuti omni excellere,
nprimisq; doctrina omni abundare,
quo facilius, quæ ad eum attinet, per-
iciat, quod fieri sane potest. Vnus e-
im tantum instruendus est: nam

vbi optimates regũt, aut populus, ſtultum eſſet in omnibus tantam doctrinæ facultatem exquirere: eaq; ratione fit, vt harum duarum rerumpublicarum adminiſtratio regię poſtponatur, propterea quod facilius ſit vnum omni virtute inſtructum reperire, quam plures, deinde inter plures facile ſeditio concitatur, quæ vni ad ſeipſum eſſe non poteſt. Hæc ſunt, quib. arbitror Principem doctrina optimarum artium inſtructum ad regimen accedere oportere: & plura alia ſuppetunt, ſed teneo me, quia videris, Alberte, velle de his aliquid proloqui. Num hæc forſitan contemnis, & ipſe aliud ſentis?

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber ſecundus.

ALBERTVS.

NIhil horum Marce. Quis enim vel mediocri prudẽtia præditus, hæc poſſit contemnere, ac non recte poſſit

possit existimare? Veruntamen isti Principes, quorum animus vel a desidia, vel a libidine est corruptus, vbi audiuerint te tam acriter in eos inuectum, quod venationibus vacent, aucupiis, & choreis, & amoribus, & huiusmodi seruilibus voluptatibus, respondeãt forsitan irati, vt te vlciscantur. Quid ergo (inquient) nos facere oportet? Num suades eburneã sellam in bibliothecam transferre? ibiq; cum regali purpura sceptroque totos dies noctesq; assidere? & libris negotium facessere? modo hos, modo illos voluentes, more Sophistarum, quasi nihil aliud nobis in vita gerendum sit? Tua hæc sit potius vita. Nos ceteris imperamus, nec vllis seruitutis vinculis vitam nostrã astringere debemus. Hæc illi fortasse dixerint irato animo. Nos autem, quibus curæ est veritas, ne quo quicquam animo dicatur, inspicere oportet, sed num in sermone insit aliquid, quod discuti & examinari debeat diligenter: vt nunc accidit. Nam ex istorum sermone quilibet prudens eo feratur, vt disquiren-

dum putet, ſi Principes oportet magnarum artium doctrina eſſe inſtructos, quod tempus illis relinquatur, non dico venandi, aut moribus ſuis indulgendi, ſed ipſos regendi populos. Non enim magnæ diſciplinæ ſubito perdiſci poſſunt, ſed longo vix tempore percipiuntur. Tu autem principes vis omnes doctos doctrina omni ſuperare: Id quam difficile ſit, te non latet. Summa autem concluſionis huius hæc eſt, quod explicandum tibi eſt, quam doctrinã, & quantam haurire eos velis. Si leuem dixeris, facile errabunt, & melius tunc fuerit ſe aliis ſcientibus committere: Sin magnam, longo opus fuerit exercitatione, & infinito labore, & vacuum tunc illis nullum relinquetur tempus, quo res reſpicere valeant populorum. Sic conficitur, nulla Principes doctrina imbutos eſſe oportere. Hæc quomodo ſe habeant, diſcutienda ſunt, ne vllus dubitationis ſcrupulus in cauſſa relinquatur. Noſti ex Rhetorum præceptis, in omni cauſſa diligentius inſpiciẽda eſſe, quæ

nocent,

nocent, quam quæ prosunt: nam quæ prosunt, facile occurrunt, vnum autem, quod noceat, nisi fuerit animaduersum & diligenter repulsum, rem totam bene institutam sæpius euertit. MAR. Eleganter tu quidem hæc, vt omnia, Alberte, quibus rem, quæ certa videbatur, videris nunc ipse in ambiguum deducere discrimen?

Et virtute tua facta est victoria nutans.

Nam neque in regentibus leuem doctrinam probas, nec si magna desideratur, vides, quomodo isti eam percipere possint, & simul publicis imperii curis vacare: En labascit jam res, quæ propemodum confecta putabatur.

Non deest tamen, quod respondeam: habere me opinor aliquid, quo hanc tuam orationem refellam, & quod me tibi probaturum confido. Ego non ita sapio, vt velim regem totos dies in Bibliotheca sedere, & cum Sophistis duntaxat, & aliis literatis viris sine vlla intermissione versari: Non ita sentio: Non me latet ne cessi-

tas illa, qua astringitur regnator maximam temporis partem in agendo consumere. Nam & magistratus eum deligere oportet ciuibus optimos, & leges scribere, tum æquissimas, tum ad finiendas velociter controuersias, quantum fieri potest, potentissimas, legationes ad alios mittere, & aliorum ad se missas audire, multorum ac pene omnium, qui ei subsunt, ingenia, mores, fortunas, copias, facultates nosse, quo his scienter in publicum regni commodum pro cuiusque captu vtatur. Sæpe ipse quoq; ius dicere, omnia audire, videre, laudare industriã, & bene de Repub. meritis præmia decernere, & supplicia in malos iusta statuere, demum commentari secum, & cum suis diligenter, vt cuncti qui eius parent imperio, quam optime se habeant ad virtutem, recteque animo & corpore valeant. Vt enim Gubernatori cursus secũdus, medico salus, Imperatori victoria: sic huic moderatori Reip. beata ciuium vita proposita est, quæ talis futura est, si honesta fuerit, si locuples, si secura.

Hæc

Hæc & talia, dũ peraguntur, magnam diei partem effluere nõ negamus. Inter ista tamen volo illum a publicis, a priuatis, a suis, ab amicorum negotiis sepositum quoddam habere tempus diurnum siue nocturnum, quo curarum vacuus libris insistere queat. Quę inuidia est hæc, si p dies singulos paucarum horarum spacia, quæ ceteri aleæ, pilæ, ludis deputant, ille assumserit lectiunculis, e quibus meliorē multo & iucundiorem tulerit animo voluptatem? Neque verendum est, vt statim non possit percipere, nisi in illis consenescat. Aliud est enim esse professorem cuiusdam ingenuæ artis, in qua cum ociosa delectatione non capita tantum rerum amplectimur, sed & singulas quasq; particulas, mēbra, quæstiones prosequimur, argumentamur, refellimus, cõprobamus, vetera limamus, noua cudimus, aliud est scire velle pure, quæ in arte tradũtur, stantem communibus decretis, & sumentem tãtum ad animi sui cultum, & ad rerum vsum, quantũ oportet. Illud enim primum, non nisi diu-

turno tempore, & quod pene cum tota hominis vita excurrat, confici potest, alterum vir docili & feraci natus ingenio facile arripiet, & vbi semel introspexerit, rerum fontes statim videbit. Reliqua, quæ ex his oriuntur, tortuosa & lubrica, sciet disputationibus supposita & ingeniis magistrorum. Sic infinita rerum sylua frustra illum terruerit, quoniam eligentur ex omnibus paucissima quædam numero, sed vi sua potentissima, & cognitione dignissima. Sin autem insumserit tempus in superfluis, nunquam abundabit eo in vtilibus & necessariis.

Cauebit igitur occupatissimus Princeps ne in vulgaribus scriptis, ne in fabellis, ne in nugis, & quamuis canoris, tempus legendi absumat. Cauebit etiam e quibuscunq; riuulis doctrinam haurire, quoniam id immensum esset & infinitum, delecta tantum euoluet volumina, & externa, nostratia, in quibus sit a maximis ingeniis elaboratum, & medulla rerum inclusa. Eorum vim, sensum, doctrinam, cum perce-

perceperit, ſatis intelligere poterit eadem ab aliis eiuſdem artis doctoribus repetita, ita vt illis perlegendis tempus terere nihil ſit neceſſe: etſi quando illi fuerit de his, quæ in arte quapiam didicerit, loquendum, non tam ieiune & ſqualide faciet, quam faciunt plerunque hi, qui talia literis mandarunt, ſed vberius effundet omnia & ornatius, genere dicendi vtens quodam, quod ſit ad popularem intelligẽtiam magis accommodatum, atque ita ſermoni ſuo apte quæque intexet, vt non ex doctrina loquacitas quædam, ſed prudentia appareat nata, neque illa in alienum locum irruiſſe, ſed in ſuum veniſſe videantur.

Et hæc mihi quidem ita ſe habere videntur. Sed ne forſitan dicant iſti principes hæc eſſe verba, exemplis vti decreui. Nam illud in ore eſt omnibus, mouere magis exempla, quam verba. An non audiſti, Alberte, hoc prouerbij vice iactari? ALBERT. Audiui equidem: nec vnquam ſatis rationem perſpexi. MAR. Si eam

audire cupis, credo id cõtingere, quoniam ea quæ geruntur, & quorum effigies veluti exempla quædam ad inſpicendum proponuntur, ſubiaceant oculis, verba autem auribus tantum capiuntur. Senſuum autem omnium oculorum ſenſus eſt acerrimus. Itaq; magis excitant & penetrant animos, quæ videntur, quam quæ audiuntur. Hinc aduerſa & noſtra & amicorum malumus audire, quam videre. Contra fit in lætis: nam hęc ſpectare magis cupimus, quã audire: tanta vis vtranque in partem eſt oculorum. Sed illud quoque crediderim in cauſſa, cur exempla magis moueant, quam verba, quia videmus verba ſupereſſe, exempla deeſſe: recta enim & iuſta, & fortia, & temperata facilius loquuntur homines, quam faciant: quapropter vbi, quod rarum eſt factu, emicat, tum id maxime mouet. Nam has accipis Alberte cauſſas duas? Alb. Quid ni? Mar. Sed num illud accipis pariter: Alb. Quid? Mar. Quod exemplorum propoſitio trahit, quodammodo vi quadã & neceſſitate audien-

ientium assensum. ALB. Nondum
ercipio. MAR. Dabo operam, vt
ercipias. Nostine olim penes gentes
: nationes omnes illorũ temporum
ɪpientes creditum, virginitatẽ men-
um & corporum nõ posse in mascu-
s fœminisque seruari, vbi ad puber-
ɪtem peruenissent? ALB. Memini
uandoq; id me legere, & certe sub-
mitas rei, & difficultas & naturę qui-
am aculei impellebãt, vt id fieri non
osse crederetur. MAR. Quid vbi
hristi religio effulsit, & vniuersas
:rras, vniuersa maria peragrare cœ-
it, & passim cõspicerentur Christia-
i virginitatis flore decorati vtroque
sexu, num ea opinio cessauit? ALB.
essauit plane: neque enim aliud pos-
m dicere. MAR. Quis illam opi-
ionem gentibus eripuit, & contra-
am intulit? Num insurrexerunt e
hristiano grege sapientes quidam,
ii noua quadam & inaudita antea e-
quentia freti id verbis suaderent?
LB. Quæ verba memoras mihi Mar-
? MAR. Nulla equidẽ tibi memo-
, sed num ea suasio verbis fuerit in-

audire cupis, credo id cõtingere, quoniam ea quæ geruntur, & quorum effigies veluti exempla quædam ad inſpicendum proponuntur, ſubiaceant oculis, verba autem auribus tantum capiuntur. Senſuum autem omnium oculorum ſenſus eſt acerrimus. Itaq; magis excitant & penetrant animos, quæ videntur, quam quæ audiuntur. Hinc aduerſa & noſtra & amicorum malumus audire, quam videre. Contra fit in lætis: nam hęc ſpectare magis cupimus, quã audire: tanta vis vtranque in partem eſt oculorum. Sed illud quoque crediderim in cauſſa, cur exempla magis moueant, quam verba, quia videmus verba ſupereſſe, exempla deeſſe: recta enim & iuſta, & fortia, & temperata facilius loquuntur homines, quam faciant: quapropter vbi, quod rarum eſt factu, emicat, tum id maxime mouet. Nam has accipis Alberte cauſſas duas? Alb. Quid ni? Mar. Sed num illud accipis pariter: Alb. Quid? Mar. Quod exemplorum propoſitio trahit, quodammodo vi quadã & neceſſitate audien-

entium assensum. ALB. Nondum
ercipio. MAR. Dabo operam, vt
ercipias. Nostine olim penes gentes
nationes omnes illorū temporum
pientes creditum, virginitatē men-
um & corporum nō posse in mascu-
fœminisque seruari, vbi ad puber-
tem peruenissent? ALB. Memini
uandoq; id me legere, & certe sub-
nitas rei, & difficultas & naturę qui-
m aculei impellebāt, vt id fieri non
osse crederetur. MAR. Quid vbi
hristi religio effulsit, & vniuersas
rras, vniuersa maria peragrare cœ-
t, & passim cōspicerentur Christia-
virginitatis flore decorati vtroque
sexu, num ea opinio cessauit? ALB.
essauit plane: neque enim aliud pos-
n dicere. MAR. Quis illam opi-
onem gentibus eripuit, & contra-
um intulit? Num insurrexerunt e
hristiano grege sapientes quidam,
ui noua quadam & inaudita antea e-
quentia freti id verbis suaderent?
LB. Quæ verba memoras mihi Mar-
? MAR. Nulla equidē tibi memo-
, sed num ea suasio verbis fuerit in-

ducta requiro. ALB. Si meam exquiris ſententiam, non arbitror verba id effeciſſe. MAR. Non arbitraris? Eſto vt vis. Quid igitur aliud eos commouit, vt faterentur virginitatem per omnem vitã cuſtodire poſſe, quod antea negabatur. Si enim verba non valuerunt, quia facile eſt verbis contraria verba parare, vnde id creditum? nonne neceſſario eo confugiendum eſt, vt dicamus noſtros rem ipſam oſtendiſſe, & ea ratione viciſſe? ALB. Neceſſe eſt propemodum id fateri. MAR. Sed quomodo rem ipſam oſtendiſſe? niſi quod oſtendebantur plures Chriſtiana in gente virginitatem cuſtodientes, qui primum populis & nationibus vniuerſis admirationi eſſe cœperunt. Deinde quum virginum frequentia admirationem ſuſtuliſſet, inducti ſunt, imo coacti, fateri id fieri poſſe ab omnibus, quod a quibuſdam fieri videbant. Non enim Chriſtianos e lapide aut quercu eſſe dolatos, ſed eiuſdem naturæ eſſe participes intelligebant, & quod virtutis genus illis inerat, id omnibus patere,

tere, si vellent, existimabat. Quid
:solitudine nunc dicam? ALBER.
uam mihi nunc quæso solitudinem
ducis? MAR. Inuasit olim gentes
a quoq; opinio, nullum hominum
litudinem diutius ferre posse. Aie-
nt namque hominem animal es-
congregabile & sociabile, ideo il-
n congregatione & societate gau-
re: & quantum his gauderet, tan-
n solitudinem fugere & horrere:
am eorum sententiam falsam es-
Anachoritæ nostri ostenderũt, qui
gno numero eremi vastitates se-
gati incolebant, assiduo nullo ho-
num commercio, diuinorum my-
riorum contemplationi vacantes:
res exemplis cognita, quæ nul-
verbis populorum animis infun-
potuisset.

Si qui autem e nostris de solitaria
verba fecerunt, sicut Basilium fe-
e video, non hi teneri eam posse
enderũt. (Nam id cernebatur) sed
ntum in ea esset boni, docuerunt,
tatique sunt homines, vt solitudi-
n persequentes nõ iam humanam,

ſed Anglicam vitam ducerent in terris. Nam Angelorum proprium eſt, Deo aſſiſtere, Deumq; contemplari, hos vt iam imitaremur, ſuadebant, quos & in regno cœleſti ſocios habituri, & quibus æquales futuri eſſemus. Quid ais nunc Alberte, quidue ſentis? Alb. Illud quod neceſſe eſt. Etenim iam video quãtum ſit rem exemplo cornmõſtrare: ſuadent exempla, quod vix ſuaſibile videtur. Nam tum quaſi digito res (vt dicebas) oſtenditur: & pudet dicere, præſtare non poſſe hominem, quod alij frequentes adhibita diligentia, Deoq; bene iuuante, præſtãt. Mar. Viſne igitur, poſtquam tantum exempla poſſunt, trahamus exemplo quoq; aſſenſum iſtorum Principum, vt fateantur aliquando poſſe eos & doctrinæ & Reipub. adminiſtrationi pariter vacare. Cur enim impoſſibile putẽt, quod ab aliis factitatum eſt? Alb. Nulla ratio eſt id eos putare. Mar. Ego vero non illud modo exemplis inductis oſtendam, id eſſe poſſibile, ſed quãti etiam doctrina ſit in Principe, quantamque vtilita-

ilitatem afferat & fructum, tum i-
is,tum etiam populis: huc enim ſer-
o noſter tendit. ALB. Vera narras.
IAR. Ergo quod magni momenti ſit
principe doctrina, teſtis antiquitas:
uæ regnorum ſceptra his deſerebat,
uos norat omnibus ingenio & nobi-
tate intelligendi anteſtare: non naſ-
ebantur reges, ſed fiebant: ceſſabat
nbitio: non generis amplitudo, non
ecuniæ vis, ſed commendatio mo-
m, & prudentiæ opinio valebat: De-
que circumlatis per vniuerſam pro-
nciam oculis deligebatur ex omni-
is, qui dignus eſſet tanto munere, vt
nnibus imperaret. Non enim natu-
hoinini in alium hominem dede-
t dominatum, ſed in pecora & be-
as. Itaque cum nulli reges eſſent ab
itio, inſtitutum eſt deinceps publi-
vtilitatis cauſſa, vt multitudinem
gerent imperitam prudentes viri:
on vt cupiditate dominandi, ſed vt
ficio conſulendi ducerentur. Sic de
no, Saturno, Cecrope, Amphione
cepimus: qui vetuſtiſſimis tempo-
ous omnes regnauerunt: & ætatis

ſuæ hominib. doctrinæ & prudentiæ merito, vetuſtate iudice, antelati fuerunt. Sic Mercurium Triſmegiſtum in Aegypto regnaſſe conſtat; qui propter admirabilem ſapientiam cognomen illud inuenit; & Aegyptiis quidem tempeſtate illa fuerat ſolemne ex ſacerdotum, id eſt, ſapientum ſuorum numero, regē creare. Sic Deiocem ſcribit Herodotus vnanimi Medorum conſenſu regem declaratum, quod priuatus antea popularium controuerſias æquiſſime definiebat, & aliorum ſententias iuſte terminabat, & hic Medis primus dicitur imperaſſe. Quid Lycurgum referam Lacedæmoniorum regem? quem conſtat doctiſſimum prudentiſſimumque fuiſſe, qui Rempub. Lacedæmonæ temporauit his legibus, vt quouſque viguerunt, inuicti fuerint Lacedæmonii ceterorum armis, quia virtute erant ſuperiores. Alexandrum Magnum, qui bellica gloria præfulſit, Ariſtoteli plurimos annos operam dediſſe notiſſimum eſt: eiuſque laudatiſſima vox ad nobiliſſimum hunc Philoſophum

ium in epiſtola quadam, malle ſe
ɔctrinæ, quàm imperii magnitudi-
: cunctis anteſtare. Sed res eſt teſtis,
ıanti fecerit diſciplinas. Nam Ari-
ɔteli ſatagenti ſcire animalium na-
.ram, ſuppeditauit aliquod homi-
.ım millia, qui ex venatu, aucupio,
ſcatione beſtias cuiuſcunque gene-
; deferrent, inſpicieñti contemplan-
que gratia. Hinc optimi illi libri de
ıimalibus ab Ariſtotele elaborati:
quibus cunctorum animalium vi-
m, mores, generationem, partus,
bilia, pabula, ætatem deſcripſit:
ıod fieri non potuiſſet, niſi ſum-
a regis liberalitas in comparan-
; alendiſque beſtiis ſubueniſſet. Nu-
ım vero Pompilium conſtat, Ro-
ılo vrbis conditore exſtincto, a
ɔpulo Romano ex Sabinis acci-
m, propter ſapientiæ exiſtimati-
ıem, quæ de illo erat, quàm ſa-
: geſtis impleuit. Nam in regno
ſtitutus cum vidiſſet populum Ro-
ınum tumeſcentem priorum bel-
rum ſucceſſibus, & nimis fero-
:ntem: ipſe ad religionis ſtudi-

dium cæremoniasque sacrorum conuertit, & in pace ocioque continuit, ciuitatem deniq; mansuetiorem multo & iustiorem effecit. Feruntque hoc regnante non bellum, non seditionem, nō tumultum vllum in repub. exstitisse, ac ne facinus quidem aliquod improbius patratū: contēdebant omnes imitationes regis iustissimi & moderatissimi animū ab omni vitio purum illibatumque seruare: idque præstantius & facilius factu regē exemplo vitæ multitudinem ad optima quæque deducere, quam vi minisque cogere: Et Romanum tum quidē imperium regali potestate tenebatur, & exiguis finibus claudebatur. Factum est deinceps vt in populi libertate, quæ septem reges sequuta est, assidue crescens ad vltimas tandem terræ regiones extenderetur: quo tempore eos, qui ad Reipub. gubernacula sedebant, Scauros, Scipiones, Catones, Metellos, Lucullos, Catullos, & alios innumeros literis & doctrinæ deditos fuisse notius est, quam vt dici debeat, Rursus (vt sunt mortalia omnia fluxa & caduca)

imperii

nperii administrādi rediit ad vnum
otestas. Cæsares namque imperare
œperunt: sed tum maxima gloria,
pibus, dignitate floruit res Romana:
um imperantes habuit doctrina ex-
ultos. Quinam hi? plures fuere: in-
er hos pono Octauianum Cæsarem,
'espasianum, Traianum, Hadria-
um, Pium & Marcum Antoninos,
lexandrum Seuerum, Aurelianum,
'acitum; qui suscepto imperio docti
iri & prudentes singula sic egerunt,
t non melius ageret ipsa Respub. si
oqueretur. Nec mirū: nam iuuaban-
ır ad res gerendas scientia, quæ iun-
:a recto ingenio, magnæque poten-
æ, plura semper mortalibus bona pe-
erit, semperque pariet: quicunque
torum temporib. Romano suberant
nperio, felicē vitam agitauere: cum
ınc honestas & veritas ius suum reti-
erent: nec illi de populorum labori-
us commoda sibi, sed de ipsorum la-
oribus commoda populo pararent.
't enim ægrotantium caussa medici
ıstituti, qui illis, non sibi commoda
ıinistrarent: quamobrem non fas est

protrahere, quo maiorem ferant mercedem: Fit enim tunc contra medicinæ præcepta, & ars ipſa violatur.

Sic principatus populorum gratia inſtituti: non vt eos affligerent, ſed vt ſeruarent: non enim multitudo propter vnum nata, ſed de multitudine delectus vnus, qui multitudinem curet eiuſque vtilitatibus inſeruiat. Sic grex non propter paſtoralem artem, ſed paſtoralis ars propter gregem inuenta. Itaque non ſuam vtilitatem reſpicere debet Princeps, ſed gregis ſibi commiſſi, quodque huic proficuum, id illi optimum debet videri. Hoc Principes hi, quos modo nominaui, nôrant, & vt intelligeretur id eos noſſe, reipſa populis prętabant. Cum his principib. optatiſſimum erat doctis & prudentibus viris diem ducere. Nam cum & ipſi ſcientia rerum pollerent, de Republica, velde literarũ ſtudiis honeſtæ collocutiones erãt: ſeueraque multa & triſtia iocorum ſale condiebantur; ita vt quantum iucunditatis & fructus aliorum ſermonibus

ibus caperent, tantũdem ceteris in-
errent. ALB. Tu vero Marce mirifi-
e Romanos laudas Imperatores, qui
b exercitibus tum legebantur. Nam
egendi poteſtas ad eos pertinebat.
MAR. Laudo equidẽ, ſed nõ omnes,
erum eos, quos modo nominaui.
Quid? tu magnum fuiſſe id in illis pu-
as, quod iucundi eſſent ſermonibus?
Maiora præſtabant, nam non ſolum
eipſos & comites, ſed etiam reliquos
omnes continebãt, ne delinquerent.
Si quos autem deliquiſſe cõperiſſent,
ta puniebãt, vt nemini poſtea liberet
dem tẽtare. Nec vero quia ab exerci-
tu ad illud imperiale culmẽ prouehe-
bantur, ideo putaris cum militib. diſ-
ſolute egiſſe, ac nõ arctiſſimam diſci-
plinam caſtrenſem penes illos fuiſſe.
Nihil licebat militi, niſi quod fas erat:
vnumquemque ſtipendiis ſuis cõten-
tum eſſe oportebat. BAP. Verum te
dicere Marce arbitror: nam id ex hi-
ſtoriarũ monumentis colligere licet,
inprimiſque id mihi Aureliani Im-
peratoris epiſtola ad Tribunũ quen-
dam miſſa indicat. ALBER. Quam

mihi narras Aureliani Baptistæ? nam me legisse nõ recolo. Bapt. Scripsit Aurelianus ad Tribunum quendam militum his verbis: Si vis Tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo contingat: vuam nullus auferat. Segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum nemo exigat: annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat. Hæc ille Tribuno præcepit. Alb. O tempora! o mores! Ille solicitus erat de pullo vel oue, ne raperetur a militibus: At superiorib. bellis, quid hæc ætas mali non sensit? An non vidimus direptiones oppidorũ, depopulationes agrorum, exustiones tectorum? Nonne ita omnia exhausta & perdita militum licentia, vt pene apud populos nihil sit reliqui. Cogita illud quoque, Baptista, illa laudabilia pręstitisse istos, qui verum Deum non nouerant; nec de rebus laudabiliter gestis præmium aliquod cœlesti de summi Imperatoris manu expectabant. Hæc turpitudo quanta? nos, qui

prius

rius Christi milites, quam regum su-
nus, quos susceptæ religionis nomen
d omnem vocat animi munditiem,
leteriora gentibus præstare, quos e-
ubescere oporteret, si tantundem ac
ion meliora præstaremus. BAP. Re-
te indignaris Alberte. Nam Christi
lisciplina quemlibet nostrum impel-
ere deberet ad honestissimarum re-
um actiones, tum eius veritate, tum
ræceptorum sanctitate, quæ etiam
entibus placuit. Et quoniam de Im-
eratoribus Romanis loquimur: Ve-
iit modo in mentem Alexandri eius,
jui Mamææ matri obsequens Roma-
ium diu rexit imperiũ. Is in illis gen-
ium tenebris Christi religione non-
lum ab omnibus recepta, Christianis
ropemodum equus fuit: quorum et-
am consuetudine delectatus est: con-
tatque eum in larario Christum ha-
uisse: Verum vna cum Orpheo, Mu-
eo, & aliis plerisque veteribus heroi-
ous. Non enim vt Deum, nec vt æter-
ii patris verbum, nouerat, sed vt præ-
tanti virtute virum colendum arbi-
rabatur. Cum ergo Christiana lege

præcipi audiſſet, non eſſe faciendum alteri, quod ſibi quis nollet fieri: præceptum hoc adeo dilexit, vt & in palatio & in operibus publicis incidi iuberet. Illud præclarius, quod ſub hac eadem voce, qui deliquerat, plectebatur, & officii ſui admonebatur. Alb. O ſummum virum, vel ſummum potius Imperatorem, ſiquidem iuſticiam tantopere colebat. Mar. At non hic vnus, ſed alii quoque, quorum nomina ſuperius retuli, tales fuerunt. Hæc magna præſtabant illi gentibus, quibus imperitabant: nec præſtitiſſent, niſi optimam naturæ optima doctrina corroborauiſſent. Quid? ſi doctrina Chriſti, quæ longe omnium eſt optima, acceſſiſſet? Num putas, Alberte, doctrinam Chriſti ſuperueniſſe vt reſpublicas euerteret? ac non potius, vt meliora doceret? Alb. Sic ſane videtur. Mar. Nonne vides, quantum deferat Principibus? Alb. Video equidem: nam debitum honorem impendi iubet Principibus, etiamſi difficiles fuerint & moroſi: illic etiam dicitur quod omnis poteſtas

tas a Deo est, & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistat. MAR. Adde quod eisdem tributa prestari mandat, seruans antiquum morem. Nam antiquis temporibus, quibus Principes delegi cœperunt, visum est communi sententia sustentari eos publico sumtu: propterea, quod sua negligentes publicis commodis inseruirent: & ea agerent, quibus non solum ipsi, sed ciues quoque cuncti cum suis rebus conseruarentur. Ipsi enim sunt, qui hostes propulsare, seditiosos comprimere, malos cohibere debent, nec sinere alterū in alterius iura inuadere: ex quo socialis gignitur in populis amor atque concordia. Ergo cum Christiana lex summa habeat Principum curam, vt illi habeant subditorum, quis possit dicere rebus publicis aduersam, nec principatui congruentem? ALBER. Nemo id iure possit. Nam quantum Christus principatum, in rebus humanis approbet, vel illud etiam ostendit, quod nasci voluit Octauiano iam Romæ, imo & totum per artem Dominante.

MAR. Nō ergo reiicit Christus Principes? ALB. Non. MAR. Amplectitur potius si tales sint, quales ipse vult. ALB. Quid ni? MAR. Vult autem virtutibus omnibus abundare? ALB. Vult. MAR. Et doctrina quoque vndique collecta. Omnis enim sana doctrina, non aliunde, quam ab ipso est: de illo vnico effluit fonte, qui est fons omnium fontium. ALB. Recte admones. MAR. Doctrina ergo illa, qua docentur Principes recte imperare, etsi tradita fuit inter gentes, & ab his, qui verum Deum non nouerant: diuinitus tamen defluxit, & per sapientium virorum ora promulgata fuit. ALB. Suades: Recta enim est locutio. MAR. Nulla igitur caussa est Principibus, cur nolint gentium doctrinam adhibere, quia dicūt se Christi mysteriis initiatos. ALB. Vera narras. Doctrina namque Christi ad altiora ducens, non illa humiliora reiicit & contemnit. MAR. Sed iam redire malo ad priora: & si nihil intexui nunc, quod superioribus non respondeat. Verum tamen ostendere cœperam

excm-

exemplis eorum, qui inter gentes imperarunt, eos rectissime id munus obiisse, qui docti ipsi & sapientes fuissent. nam illi quod potuerunt, cur nostri nequeant, non solum non impediente Christi religione, verum etiam cohortante & adiuuante? ALB. Quid ergo dicent? Nam si non posse dixerint, non suadebunt, si nollet desidiam suam coarguent. Sed perge porro, vt cœperas: & redde quicquid omissum putas. MAR. Scio me in veteribus Principib. Romanis enumerandis omisisse Caium Cæsarem dictatorem, qui forsitan omittendus non fuerat: cum non solum bellator fuerit acerrimus, verum etiam orator maximus, demum quibuscunque ætatis suæ hominibus doctrina par adeo, vt multa quoq; conscripserit laude digna, quæ posteritati ꝓdessent, quorum nõnulla adhuc inter manus versantur. Idem rerum potitus labentem antea annum & errantem correxit, stabilemque reddidit: quod non latinis modo, verum etiam Græcis, quorum sapientiam hauserat, quin potius

omnibus nationibus, quæ idem exemplum sequutæ sunt, fuit perutile. Ex quo colligi potest nihil humano generi fructuosius, quam vbi multa rerum peritia maximę se potentię adiunxit. Quid Theodosius? nonne inter doctos Principes numerandus?

Qui prælia Musis——
Temperat, & Geticum moderatur Apolline carmen
Arma inter, Cymbrosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas.

Magnum certe ornamẽtum Theodosio, quod inter prælia carminum curam susciperet, ac expeteret.

——Tempora circum
Inter victrices hederam sibi serpere lauros.

Iulianus quod a fide Christiana turpissima desciuit, potest veræ pietatis hostis haberi, sed non literarum, neque artium multarum, quibus admodum deditus fuit; & quibus etiam Christianum populum, cuius odium profiteri cœperat, exagitauit. Sed quo piaculo Constantinum pręterco? Hic est ille, qui primus Christi religionem superiorum Principum vitio exagita-

tam ac

tã ac pene demersam, extulit, primus Romanis vexillis crucis signa impressit: Primus Romanorum Imp. templa publice Christo exstruxit, & Christianos ad honores & dignitates pduxit. Nõ aliunde clarius perspici põt, quantũ Principis auctoritas coniuncta prudentiæ valeat. Nam vbi Constantinus Christi fidem palam amplexus est, innumeræ gentes eandem fidem receperunt, ac deinceps prospera multa Christiano populo consequuta sunt, ita vt nõ multo post pulsis idolis verus Dei cultus toto orbe terrarum enitesceret, in quo vno cõsistit animarum salus. Quamobrẽ etsi diuino illa acta sunt fauore, qui religionẽ suam latius dilatari voluit, vt fieret infinita credentium multitudo, attamen si quicquam ea in re humanis auxiliis tribuendum est, Constantini opera factũ dixerim, vt totus orbis crederet, veramque salutem acciperet. Is enim principium attulit, publice eam religionẽ professus. Principium aũt potentissimã cuiusq; rei partẽ esse scim⁹ omnes: nam eo firmiter iacto reliqua

facile ſub manus ſuccedunt: & principium tantarum & virium, vt ait Plato, quod nemo hactenus Oratorum ac Poetarũ illud pro dignitate ſatis commendauit. Videsne Alberte, an me diutius dicere oportet, quantum ſalutis humano generi vnius Imperatoris ſapientia Deo moderante inuexerit. Alb. Video equidem, nec plura verba deſidero. Mar. At non religione tantum Conſtantinus inſignis fuit: ſed innumerę in eo (vt ait Eutropius) virtutes animi corporiſque claruerunt. Fortuna omnibus ei bellis fuit proſpera: verum ita, vt non ſuperaret induſtriã. Mos ei plurimas diſcordias ſedare, nutrire legibus bonas artes, pręcipue ſtudia literarum: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarũ, aſſectari iuſtitiam, liberalitate amicos parare, & nihil occaſionum prætermittere, quo eos opulentiores clarioreſque efficeret. Hæc de ipſo tradit Hiſtoria ab externis ſcripta, ne a noſtris ipſum tantum cõmendatum putes. Hic rurſus vrgeo, & quęro cur hęc exem-

exempla videntes nostri principes, non ipsi quoque literarum studiis vacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruẽtibus sæpe maximis bellis, & inter summas discordias & contentiones, ad Imperium quandoq; euecti potuerũt, cur hi non possint vnius tãtum ciuitatis vel prouinciæ Domini, in ocio degentes & vmbra, & in ipso principatu nati atq; educati? An prioribus seculis meliora ingenia, maior docentium copia, vberior librorum supellex? Non opinor. Quam igitur caussam ponemus rudium & indoctorum Principũ? nisi desidiam & inertiam, vel deprauatam horum temporum opinionem, qua turpe habetur principibus viris discere, quod honestissimum est omnibus didicisse, quam sane opinionem etsi conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magisq; deterere rationibus exemplisq; allatis, donec frangatur, ad publicã arbitror vtilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus se nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, seu priuatũ pertinerent, igno-

facile ſub manus ſuccedunt: & principium tantarum & virium, vt ait Plato, quod nemo hactenus Oratorum ac Poetarũ illud pro dignitate ſatis commendauit. Videsne Alberte, an me diutius dicere oportet, quantum ſalutis humano generi vnius Imperatoris ſapientia Deo moderante inuexerit. Alb. Video equidem, nec plura verba deſidero. Mar. At non religione tantum Conſtantinus inſignis fuit: ſed innumerę in eo (vt ait Eutropius) virtutes animi corporiſque claruerunt. Fortuna omnibus ei bellis fuit proſpera: verum ita, vt non ſuperaret induſtriã. Mos ei plurimas diſcordias ſedare, nutrire legibus bonas artes, pręcipue ſtudia literarum: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarũ, aſſectari iuſtitiam, liberalitate amicos parare, & nihil occaſionum prætermittere, quo eos opulentiores clarioreſque efficeret. Hæc de ipſo tradit Hiſtoria ab externis ſcripta, ne a noſtris ipſum tantum cõmendatum putes. Hic rurſus vrgeo, & quęro cur hęc exem=

exempla videntes nostri principes, non ipsi quoque literarum studiis vacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruẽtibus sæpe maximis bellis, & inter summas discordias & contentiones, ad Imperium quandoq; euecti potuerũt, cur hi non possint vnius tãtum ciuitatis vel prouinciæ Domini, in ocio degentes & vmbra, & in ipso principatu nati atq; educati? An prioribus seculis meliora ingenia, maior docentium copia, vberior librorum supellex? Non opinor. Quam igitur caussam ponemus rudium & indoctorum Principũ? nisi desidiam & inertiam, vel deprauatam horum temporum opinionem, qua turpe habetur principibus viris discere, quod honestissimum est omnibus didicisse, quam sane opinionem etsi conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magisq; deterere rationibus exemplisq; allatis, donec frangatur, ad publicã arbitror vtilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus se nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, seu priuatũ pertinerent, igno-

facile ſub manus ſuccedunt: & principium tantarum & virium, vt ait Plato, quod nemo hactenus Oratorum ac Poetarũ illud pro dignitate ſatis commendauit. Vides ne Alberte, an mē diutius dicere oportet, quantum ſalutis humano generi vnius Imperatoris ſapientia Deo moderante inuexerit. Alb. Video equidem, nec plura verba deſidero. Mar. At non religione tantum Conſtantinus inſignis fuit: ſed innumerę in eo (vt ait Eutropius) virtutes animi corporiſque claruerunt. Fortuna omnibus ei bellis fuit proſpera: verum ita, vt non ſuperaret induſtriã. Mos ei plurimas diſcordias ſedare, nutrire legibus bonas artes, pręcipue ſtudia literarum: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarũ, aſſectari iuſtitiam, liberalitate amicos parare, & nihil occaſionum prætermittere, quo eos opulentiores clarioreſque efficeret. Hæc de ipſo tradit Hiſtoria ab externis ſcripta, ne a noſtris ipſum tantum cõmendatum putes. Hic rurius vrgeo, & quęro cur hęc exem-

exempla videntes noſtri principes, non ipſi quoque literarum ſtudiis vacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruētibus ſæpe maximis bellis, & inter ſummas diſcordias & contentiones, ad Imperium quandoq; euecti potuerũt, cur hi non poſſint vnius tãtum ciuitatis vel prouinciæ Domini, in ocio degentes & vmbra, & in ipſo principatu nati atq; educati? An prioribus ſeculis meliora ingenia, maior docentium copia, vberior librorum ſupellex? Non opinor. Quam igitur cauſſam ponemus rudium & indoctorum Principũ? niſi deſidiam & inertiam, vel deprauatam horum temporum opinionem, qua turpe habetur principibus viris diſcere, quod honeſtiſſimum eſt omnibus didiciſſe, quam ſane opinionem etſi conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magiſq; deterere rationibus exempliſq; allatis, donec frangatur, ad publicã arbitror vtilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus ſe nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, ſeu priuatũ pertinerent, igno-

facile ſub manus ſuccedunt: & principium tantarum & virium, vt ait Plato, quod nemo hactenus Oratorum ac Poetarū illud pro dignitate ſatis commendauit. Videsne Alberte, an me diutius dicere oportet, quantum ſalutis humano generi vnius Imperatoris ſapientia Deo moderante inuexerit. Alb. Video equidem, nec plura verba deſidero. Mar. At non religione tantum Conſtantinus inſignis fuit: ſed innumerę in eo (vt ait Eutropius) virtutes animi corporiſque claruerunt. Fortuna omnibus ei bellis fuit proſpera: verum ita, vt non ſuperaret induſtriā. Mos ei plurimas diſcordias ſedare, nutrire legibus bonas artes, pręcipue ſtudia literarum: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarū, aſſectari iuſtitiam, liberalitate amicos parare, & nihil occaſionum prætermittere, quo eos opulentiores clarioreſque efficeret. Hæc de ipſo tradit Hiſtoria ab externis ſcripta, ne a noſtris ipſum tantum cōmendatum putes. Hic ruſus vrgeo, & quęro cur hęc exem-

exempla videntes nostri principes, non ipsi quoque literarum studiis vacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruẽtibus sæpe maximis bellis, & inter summas discordias & contentiones, ad Imperium quandoq; euecti potuerũt, cur hi non possint vnius tãtum ciuitatis vel prouinciæ Domini, in ocio degentes & vmbra, & in ipso principatu nati atq; educati? An prioribus seculis meliora ingenia, maior docentium copia, vberior librorum supellex? Non opinor. Quam igitur caussam ponemus rudium & indoctorum Principũ? nisi desidiam & inertiam, vel deprauatam horum temporum opinionem, qua turpe habetur principibus viris discere, quod honestissimum est omnibus didicisse, quam sane opinionem etsi conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magisq; deterere rationibus exemplisq; allatis, donec frangatur, ad publicã arbitror vtilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus se nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, seu priuatũ pertinerent, igno-

exempla videntes nostri principes, non ipsi quoque literarum studiis vacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruẽtibus sæpe maximis bellis, & inter summas discordias & contentiones, ad Imperium quandoq; euecti potuerũt, cur hi non possint vnius tãtum ciuitatis vel prouinciæ Domini, in ocio degentes & vmbra, & in ipso principatu nati atq; educati? An prioribus seculis meliora ingenia, maior docentium copia, vberior librorum supellex? Non opinor. Quam igitur caussam ponemus rudium & indoctorum Principũ? nisi desidiam & inertiam, vel deprauatam horum temporum opinionem, qua turpe habetur principibus viris discere, quod honestissimum est omnibus didicisse, quam sane opinionem etsi conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magisq; deterere rationibus exemplisq; allatis, donec frangatur, ad publicã arbitror vtilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus se nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, seu priuatũ pertinerent, igno-

rare : nec mentiri videbatur. Nam Poematum historiarumque fuit studiosissimus: Geometriæ, Arithmeticæ, picturæ peritissimus. Iam vero canendi psallendique artem prę se ferebat: Idem gladiatoria arma scientissime tractabat, exercitum ducere, & seuere continere non alius promtior, & Hadrianus quidem in tam multiplici varietate talem se exhibuit. Hoc audito pudeat istos quandoque in aliqua Philosophiæ parte tantundem nõ præstare. Nam omnia discere velle importunum forsitan habeatur. Inter externos veteres Reges commemorare possum Mithridatem, cuius inprimis tanta fuit memorię vis, vt viginti duabus linguis loqueretur, nec per interpretem subiectorum sibi hominum quenquam appellaret. Medicinæ præterea constat studiosum fuisse: antidotumque nobilissimum ab eo conditum aduersus venena, q; de suo nomine ad hæc vsq; tempora Mithridatis nuncupatur. Pompeius, qui regem debellauit, reliqua præda militibus dimissa, scrinia ipsa inuasit, in quibus

bus cõmentarios de simplicium effectu repertos, Laneo liberto, Grãmaticæ artis doctiſſimo vertendos in linguam latinam tradidit, qua re effectum eſt (quemadmodum Plinius aſſerit) vt victoria illa non ſolum Reipublicæ, ſed vitæ quoque mortalium prodeſſet. Idem Plinius Iubam, Ptolomæi fratrem, qui primus Mauritaniæ vtrique præfuit, ait ſtudiorum celebritate clariorem fuiſſe, quam regno, & eius vtitur teſtimonio in his, quæ de Atlante monte ſcribit, eundemque aſſerit, inſigne volumen de Euphorbia herba ſcripſiſſe, quæ ibidem gignitur, propterea quod laudatiſſima eſſet in claritate viſus, & præſentaneam opem ferret aduerſus ſerpentes venenaque omnia. Attalum etiam Pergami in Aſia regnãtem doctiſſimum fuiſſe non ambigitur, quo in oppido Bibliothecam quoque inſtructiſſimam veteres ſcriptores fuiſſe prodiderunt. Piſiſtratum, qui tyrannico tenuit Athenas dominatu, doctũ exiſtimare licet. Nã diſperſa Homeri carmina in vnum collegit, & pri-

mus ingētem bibliothecam Athenis publicauit: & tanta eloquentia fuisse dicitur, vt Athenienses libertatis suæ obliti, se illi sponte subiecerint. Sed num vis, Alberte, vt huic caussæ maior quoque accedat auctoritas, vt exempla de sacra historia collecta inseram? vel num id munus ad te potius pertinet? Tu qui quotidie in veteri Hebreorum lege volutaris: sacrasque personas assidue literas, ea lingua, qua editæ sunt, ex quo necesse est notiora tibi esse, quę illic tractantur omnia, adiuua me nunc, quęso, tuæ opis indigentem: exempla nunc quærimus de sacris desumta voluminibus. Ecquem illic habes summum & potentem virum, qui duxerit populum, aut regnauerit, idemque fuerit multiplici doctrina instructus. Vide si aliquē proferre potes. Alb. Possum equidem. En tibi Mosen Hebraici populi magnum & summum ducē, quem omni Ægyptiorum doctrina instructū fuisse sacræ literæ prodiderūt. Mar. Omni inquis doctrina Ægyptiorū Mosem instructum fuisse? Alb. Ita proditum

ditum eſt. MAR. Ne leuem quidem ſcientiam fuiſſe in Moſe apparet, ſiquidem omni Ægyptiaca doctrina imbutus fuit: Ægyptios namq; in omni doctrinarum genere ceteris gentib. præſtitiſſe, vel illud indicat, quod qui inter Græcos doctiſſimi habiti ſunt, ad eos diſcendi cauſſa nauigauerunt, Pythagoras, & Plato, & Democritus antea, & poſtea Apollonius Tyaneus. Sed Moſem pluribus non eſt opus commendare, cuius doctrina dubia eſſe non poteſt: quæ non modo ſacris literis teſtata eſt, ſed alios quoque locupletes habet auctores, quemadmodum Euſebius Euangelicæ prȩparationis libris egregie hoc eſt proſequutus. Prȩter hunc igitur, ecquem habes alium, quē proferas? ALB. Habeo Dauidem, qui ad ſolium Iſraelitici regni euectus, lyrico metro diuina cantauit, ſicut pſalmorum opus ab eo confectum declarat, vt Flaccum quoque ſuum & Pindarum Hieroſolyma habuiſſe dicatur. MAR. Accipio equidem hunc Dauidem, ſed cur mihi non potius memoras huius filium Sa-

lomonem. Cur, inquam, hunc omittis, vel tam diu differs? Nam isto inter Hebræos nemo latius regnauit, aut beatius: & sapientissimus idem hominum omnium, qui sub cœlo essent, fuisse prohibetur. Legis Sabæorum reginam famæ tantæ sapientiæ excitã, relicto suo regno, Hierosolymam ad eum aduentasse, & eo audito sapientiam illam fama omni superiorem dixisse. Sed res ipsa hoc ostendit. Quid enim ignorasse eum dicemus? Num diuina? quorum cognitio vera penes Hebræos duntaxat erat, quos ipse regebat? At naturam cœlestium terrestriumque rerum, in cuius cognitione maximi Philosophi elaborarunt, præclarum est tenere, hanc ille non tenuit, quomodo id dicemus? qui de his rebus & refersisse libros aliquot, & Tyri philosophis proposuisse quædam & multa percunctantibus respondisse traditur. Certe testis est sacra historia illum de lignis disputasse a cedro Libani vsq; ad erumpentem ex pariete hysopum, disseruisse quoque de iumētis, & volucribus,

& re-

& reptilib. & piſcibus: eſto in his magnus, in his vero quæ ad mores pertinent, nullus fuit, imo nō alius peritior, hoc facilime cognoſcet, quicunque librum Prouerbiorum eius legerit, in quo breues collegit ſententias, quibus vita hominū, veluti quibuſdam præceptis, vt melius rectiuſq; ſe habeat, eruditur, quo docendi genere, quoniam illi veteres ſeptem e Græcia vſi fuerunt, Sapientum nomen tulerunt. In altero vero libro, qui Græci Eccleſiaſtes, Latine vero concionator inſcribitur, propterea quod non ad vnum, aut ad alterum, ſed ad vniuerſos ſermo habetur, aggreditur initio celebratiſſimā illam quæſtionē, inter Philoſophos diu agitatam de bonorum finibus. Illic docet mundana omnia vana eſſe, imo vanitate ipſa vaniora, reiicitq; eorum ſententias, qui aut in voluptate, aut in diuitiis, aut in gloria, aut in his omnibus ſimul ſummum bonū conſtituerunt. Ipſe autem ſummum eſſe bonum & vnicū aſſerit, Deo coniungi, eoque in perpetuum frui. Exſtat tertius eiuſdē liber cantica

canticorum, vbi dramatis in morem sponsæ sponsique affectus expressit, & amoris iacula flammasque depinxit: crebra ibi osculorũ, amplexuum, pulchritudinis & formæ mentio fit. Credas, vt Poetam ludere amatoriis in affectibus, sed figurata illa sunt omnia, quæ quomodo ad Ecclesiam Christumq; referantur, altioris est indaginis, ideo omittantur. Hunc tu regem, cui sacræ perhibẽt testimonium literę, non alium sapiẽtiorem natum, nec nasciturum præteris, tanquã non noueris, nec de eo quicquam audieris. Alb. Non me latebat, Marce, Salomonis sapiẽtia. Quid enim nossem in sacris literis, si hũc ignorarem tam vulgo decantatum? Noueram quæcunque protulisti: Noueram soli Salomoni inter reges sapientis nomen additum. Sed veritus sum regẽ hunc pro exemplo proferre, ne mihi obiiceretur, sapientiam illam huic Regi diuinitus affluxisse, nullo humano labore & studio partam: nec oportere, quod vni duntaxat singulari quodam priuilegio tributum fuit, id in exemplum

plum trahi. Non enim omnibus eandem diuini fauoris auram patere: si pateret, neminem regum illo inferiorem fore. Vide igitur, si id obiiciatur, quid respõdeas. Nam in tanta disputantium vbertate obiecturos tibi id aliquos opinor, vbi audiuerint te ad Salomonis sapientiam cunctos reges reuocare. Fuit enim maior illa sapientia, quam quælibet alia, quæ viribus humani ingenij pariatur. MAR. Non ego, Alberte, ad sapientiam Salomonis cunctos Reges expendo, vt si quid defuerit de pondere vel fulgore, vituperandos putem: contentus sum in illis ea sapientia, quæ adhibita animaduersione & humano studio comparari potest. Cur igitur hunc regem in exemplum proponendum dico? Vt intelligatur, Regem sapientem esse oportere, idque diuino comprobari testimonio, quod humano longe est potentius. Nunquam enim Deus sapientiã regi infudisset, nisi regnanti necessariã ostẽdere voluisset. Nam ipse quoque Salomon non ad suam, sed populi vtilitatem, in somnio sa-

canticorum, vbi dramatis in morem ſponſæ ſponſique affectus expreſſit, & amoris iacula flammaſque depinxit: crebra ibi oſculorũ, amplexuum, pulchritudinis & formæ mentio fit. Credas, vt Poetam ludere amatoriis in affectibus, ſed figurata illa ſunt omnia, quæ quomodo ad Eccleſiam Chriſtumq; referantur, altioris eſt indaginis, ideo omittantur. Hunc tu regem, cui ſacræ perhibẽt teſtimonium literę, non alium ſapiẽtiorem natum, nec naſciturum præteris, tanquã non noueris, nec de eo quicquam audieris. Alb. Non me latebat, Marce, Salomonis ſapiẽtia. Quid enim noſſem in ſacris literis, ſi hũc ignorarem tam vulgo decantatum? Noueram quæcunque protuliſti: Noueram ſoli Salomoni inter reges ſapientis nomen additum. Sed veritus ſum regẽ hunc pro exemplo proferre, ne mihi obiiceretur, ſapientiam illam huic Regi diuinitus affluxiſſe, nullo humano labore & ſtudio partam: nec oportere, quod vni duntaxat ſingulari quodam priuilegio tributum fuit, id in exemplum

plum trahi. Non enim omnibus eandem diuini fauoris auram patere: si pateret, neminem regum illo inferiorem fore. Vide igitur, si id obiiciatur, quid respōdeas. Nam in tanta disputantium vbertate obiecturos tibi id aliquos opinor, vbi audiuerint te ad Salomonis sapientiam cunctos reges reuocare. Fuit enim maior illa sapientia, quam quælibet alia, quæ viribus humani ingenij pariatur. MAR. Non ego, Alberte, ad sapientiam Salomonis cunctos Reges expendo, vt si quid defuerit de pondere vel fulgore, vituperandos putem: contentus sum in illis ea sapientia, quæ adhibita animaduersione & humano studio comparari potest. Cur igitur hunc regem in exemplum proponendum dico? Vt intelligatur, Regem sapientem esse oportere, idque diuino comprobari testimonio, quod humano longe est potentius. Nunquam enim Deus sapientiā regi infudisset, nisi regnanti necessariā ostēdere voluisset. Nam ipse quoque Salomon non ad suam, sed populi vtilitatem, in somnio sa-

pientiam a Deo petiuit, hancque illo munifice, & supra etiã petita concessit. Hinc emanauit nõ multo post nobile illud iudiciũ inter duas mulieres de filio contendentes: necnon multa alia, sapiente rege digna, gessit, quę sacri continent libri. Inscitiã mihi crede, Alberte, & imprudentiam Deus magnopere auersatur: vnde hoc perspici datur? de multis quidem, sed minime de hoc, quod eam in peramato rege vi sua pepulit. Nunquam obscuritatem illam ignorationis, propter quam sine luce humanum iacet ingenium, Deus creauit, aut adamauit. Quid enim Alberte arbitraris esse ignorantiam? an aliquid vel nihil? Ego tam nihil esse arbitror, quam tenebræ sunt: quoniam & illa nox quoque est mentis. An non idem tibi quoq; videtur? Alb. Vtique. Mar. Quid vbi subingreditur in animo scientia, existimasne ignorãtiam fugere illinc, & alio se conferre, tanquã rem aliquam mobilem? Alb. Absurdum id quidem, cum eam nullam esse rem dixerimus. Mar. At cessat tamen illa tunc,

tũc, nec manet. ALB. Fateor. MAR. Quomodo id ſit? an non animaduertis ad ſcientiæ ingreſſum adeſſe tunc aliquid humanis animis, quo antea carebant? Non enim aliquid aufertur, ſed ſuperuenit, q, exemplo patet luminis, quod vbi infertur, non pellitur aliquid, quod antea ibi eſſet, ſed adeſt aliquid quod prius non erat. ALB. Recte igitur cõparatur lumini ſcientia, tenebris ignoratio. MAR. Perſpicis iam, Alberte, quanta ſit vis ipſius ſcientiæ: vtpote quæ luminis inſtar hoc habet præcipuum, quod non tantum lux eſt ſibi, ſed etiam ceteris. ALB. Magna certe vis eſt eius luminis, quod vndiq; fundit ſcientia in humanis animis collocata. MAR. Ergo in principe, qui quo altior eſt & ſublimior, eo melius ceteris prælucebit, hanc nõ requiremus? Nõ enim homines ad geminos hos cœli oculos (Solem dico & Lunam) tam intẽte ſuum referunt aſpectũ, quã ad Principis vultum, fixis intuẽtes oculis, quid innuat, quo feratur, quid fieri iubeat, quid decernat. Nonne fulgentiſſimũ & omni

ſcientiæ lumine micantiſſimum ſpeculum illud eſſe oportet, quod ad ſe cunctorum oculos aureſque trahit? ad cuius motum cuncta mouentur? Et ecquod opus in terris, Alberte, habes aliud, quod aut Deo ſit acceptius, aut illi magis ſimile, quam ſapiens princeps. Ego vero nullum habeo. Sed num potes audire cur ita eſſe credam? Alb. Facillime. Mar. Audi igitur, dixi antea de Salomone Dauidis filio, vt eum Deus afflatu illo ſuo diuino maxima ſapiẽtia inſtruxerit, quoniam id maxime regale eſſe ducebat, ex eo euidenter oſtendit (vt mea eſt ſententia) quanti in rege faceret ſapientiam. Sed vt id clarius perſpicias me auctore: poſſumne a te, Alberte, impetrare, vt memineris, cuius figuram ſapientiſſimus ille Rex veteri in lege gerebat. Alb. Memini. Mar. Si meminiſti: geſſiſſe illum dicis figuram vnigeniti, vbi e patris ſinu æterni ad humana deſcẽdit. Alb. Ita eſt. Mar. Si tanta in illo ſapiẽtia, quanta in iſto, qui pluſquam Salomon fuit? Nonne igitur vides, quomodo hunc vnige-

vnigenitum ſuum Deus, æternitate ſibi & poteſtate & ſubſtantia in diuinis parem, ad humana venientem eminentiſſima ſcientia donauit, nec alia ratione id factum, quam vt in forma quoque humana ſibi quam propinquiſſime accederet: omnia ille gratiarum dona ſine menſura accepit: cum ceteris ad menſuram tradantur. An non ita de eo Ioannes Baptiſta Euangelij anteſignanus prædicabat? ALB. Prædicaſſe memini. MAR. Sed nec id tacuiſſe Apoſtolum Paulum meminiſſe potes, dũ aſſerit in illo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſaurus fuiſſe reconditos. Et quiſquam hoc exemplo accepto ſapientiam aſpernabitur, & eam regi negabit conuenire? Non huc venit quidem vnigenitus Dei filius, vt regnaret, ſed vt miniſtraret: nec ſolum Rex natus non eſt, ſed ne Rex fieret, etiam vitauit: nullam denique hic regni coronã, niſi ſpineam, accepit: vere tamen exiſtimantibus Rex Regum erat, & cœleſtium terreſtriumque rerum Dominus, ſed latebat tũc trãſtuliſſe dominatus, ſed non

ſemper latebit. Nam regnantē quandoque Chriſtum cuncti mortales ſentient & agnoſcent, veniet aliquando magna cum maieſtate, vniuerſum orbem de factis eius & ſcelerib. iudicaturus: fulgebit tunc crucis gloria: impij, quem deſpexerunt, timebunt, pij, quem dilexerunt, venerabuntur.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber tertius.

ALBERTVS.

EXiſtimas te poſſe, Marce, ſuadere Principibus, vt doctrinæ ſtudiiſq; literarum vacent; exemplis inductis doctorum & eruditorum Principum, quaſi quia tales fuerint, recte & legitime populis imperarēt. Probatio hæc, etſi primo placuit, nunc tamen altius intuenti non ſatis firma & conſtans apparet, & iā vereor, ne eiiciatur per aduerſarios, certe repugnabunt allatis ex aduerſo exemplis aliorum, qui docti & eruditi fuerūt, & fœde tamen crudeliterq; imperarunt. Adducēt e veteri-

veterib. Phalarim Agrigenti Tyrannum, cuius famosa fuit crudelitas, qui tamē & doctus ipse, & doctorū hominum studiosus fuisse perhibetur. Addent Dionysium Siculum Seniorem, quem in literis plurimum versatū accepimus, nec tamen his dicent adductum, vt iustitiā coleret, nec cohibuisse seipsum, quin tyrānico imperio teneret Syracusas, & multa in Deos impie, plurima in ciues nefarie cōmitteret. Et, vt ad Romana veniatur exempla, proponent Tiberium & C. Gracchos fratres, qui inter Principes erant ciuitatis, & omnibus melioribus artibus instructi, qui tamen maximos seditionum fluctus excitauerunt, his ipsis animi dotib⁹, quas nos laudamus, non alio sane respicientes illi, quam vt imperitæ plebeculæ gratificarentur. Tiberium quoque Neronem, qui a Cęsare dictator tertius Romanorū tenuit imperium, inter eruditos constat fuisse, hunc in principatu multa præclare, multa etiam scelerate gessisse legimus. Quid de Iuliano dicam Apostata? quem tu inter bonos princi-

pes ausus es collocare: Nōne hic Christi doctrina, quam a puero vsq; imbiberat, abutebatur? Eam namque irridere & exagitare solebat: & Christianos nihil aliud, quam Marcum & Lucam, legere permittebat, ceteras disciplinas attingere edictis vetabat, & dum eis opes auferret, id se ex Christi præcepto facere dictitabat. C. Cæsarem dictatorē numeras inter doctos, optime, sed quid ille vnquam egit in Republica, vt Reipub. iura tueretur, ac non potentiæ suæ caussa? Nonne tandem dissidens a ciuibus leges & libertatem populo Romano ademit, Remq; publicam vi & armis inuasit, & aduersariis deuictis oppressit? Cuius factum imitatus est nō multo post Octauianus ex sorore nepos, vna cum reliquis triumuiris, indicta etiā acerbissima in ciues ꝓscriptione. Hi duo si post partas victorias ciuitati ius suum reliquissent, & virtute Principes libertate ceteris pares esse voluissent, melius & ipsi audissent, & historiæ de eis loquerentur. Septimium Seuerū doctum eundemque crudelem fuisse accepimus.

cepimus. In eodem reponens numero Galienum Augustum, hominem improbissimũ & nequissimum; quem tamen Poemate & Oratione valuisse plurimum, & nemini suæ ætatis Poetarum & Oratorum secundum fuisse constat: hi veteres sunt: sed e recentioribus plures alii possent ab eisdem fortasse nominari, quibus cum doctrina non deesset, defuit iusticia & recte imperandi voluntas. Possem ego quoque (nisi offensionem timerem) adducere nonnullos, qui eiusdem notæ fuerunt. Doctrina aderat, sed nõ multa e doctrina præstabant. Quid ergo iactamus doctrinam veluti iusti imperii opificem, si eius etiam participes iniuste imperantes videmus? Existimandum est potius, naturam ad bene imperandum, quam doctrinam, valere. Hæc me valde commouent: quæ nisi refellantur, nulla erit vtilitas superiorum sermonum; frustra hæc inter habita fuerit colloquutio; audaciores reddentur aduersarii, & vicisse gloriabuntur. MAR. Quid ergo Alberte? Num tu tam facile de sententia disce-

dis, vt iam putes: contra quam olim existimabas, doctrinam regnantium non ipsis regnantibus, non populis vtilem fore? Alb. Nondum equidem id puto: sed nosti vim contrariorum: quę nisi diluantur, magnum generant errorem, & aduersariis palmam acquirunt. Mar. Iure tu postulas, Alberte, aut refelli obiecta, aut si fieri id nequit, alteri parti victoriam concedi. Itaque mecum nunc euoluo, quomodo id apte facere possim: inprimisque cogor & ingenium tuum & eloquentiam admirari. Nam & acute, quid ex contraria parte aduersus superiores sermones obiici posset, vidisti, eaque dilucide & eleganter exposuisti. Caput autem eorum omnium, quæ dixisti, illud est, nihil prodesse doctrinam magnis in imperiis: propterea quod plures docti & eruditi viri eam obtinentes fœde peccarũt: & summa cum pernicie populorum regnauerunt: & ne id fingi putaretur, exempla multorum attulisti: & ea omnia clara & illustria, vt id saluo pudore inficiari queat nemo. Equidem fateor eorum & his

similium

iiliũ opera magnã doctrinæ calu-
iiam impoſitã, adeo vt ira cuncto-
n odioq; ſint digni, ꝙ cũ eis licuiſ-
doctrinæ facultate, pulſis & fractis
ſanis animi cupiditatibus, iuſte im-
tare, felicemq; ſibi ac populis vitã
mparare, quantã mortalib. poſſide-
fas eſt, hacq; ratione doctrinã ex-
lere, non tantũ apud ciues ſuos, ſed
enigenas etiam, atq; adeo barbaros
ines, illi non ſolũ hoc modo nõ ho-
rarũt, verũ econuerſo deturparũt,
æſtiteruntq; improbiſſime viuẽdo,
a plurib. doctrina contemneretur,
luti nullius boni cauſſa eſſet, & nihil
i. cultorib. afferret, quod tamẽ lon-
eſt ſecus. Magnũ enim quoddam
immẽſum bonum doctrina homi-
b. præſtat, ita vt nemo vnquam tan-
fuerit facundia, qui ſatis pro digni-
te illam laudarit: quid enim præſtat,
nquies) e rudiũ & imperitorum nu-
ero aliquis? imo vero quid non præ-
at? Hæc diuina myſteria, naturæ cõ-
ia & actiones nobis denuntiat: Hæc
ſtendit, quo cogitata, dicta, facta
ſtra referre debeamus, & cui inſi-

dis, vt iam putes: contra quam olim existimabas, doctrinam regnantium non ipsis regnantibus, non populis vtilem fore? Alb. Nondum equidem id puto: sed nosti vim contrariorum: quę nisi diluantur, magnum generant errorem, & aduersariis palmam acquirunt. Mar. Iure tu postulas, Alberte, aut refelli obiecta, aut si fieri id nequit, alteri parti victoriam concedi. Itaque mecum nunc euoluo, quomodo id apte facere possim: inprimisque cogor & ingenium tuum & eloquentiam admirari. Nam & acute, quid ex contraria parte aduersus superiores sermones obiici posset, vidisti, eaque dilucide & eleganter exposuisti. Caput autem eorum omnium, quæ dixisti, illud est, nihil prodesse doctrinam magnis in imperiis: propterea quod plures docti & eruditi viri eam obtinentes fœde peccarũt: & summa cum pernicie populorum regnauerunt: & ne id fingi putaretur, exempla multorum attulisti: & ea omnia clara & illustria, vt id saluo pudore inficiari queat nemo. Equidem fateor eorum & his

similium

ſimiliũ opera magnã doctrinæ calumniam impoſitã, adeo vt ira cunctorum odioq; ſint digni, ꝙ cũ eis licuiſſet doctrinæ facultate, pulſis & fractis veſanis animi cupiditatibus, iuſte imperare, felicemq; ſibi ac populis vitã comparare, quantã mortalib. poſſidere fas eſt, hacq; ratione doctrinã extollere, non tantũ apud ciues ſuos, ſed alienigenas etiam, atq; adeo barbaros omnes, illi non ſolũ hoc modo nõ honorarũt, verũ econuerſo deturparũt, præſtiteruntq; improbiſſime viuẽdo, vt a plurib. doctrina contemneretur, veluti nullius boni cauſſa eſſet, & nihil ſui cultorib. afferret, quod tamẽ longe eſt ſecus. Magnũ enim quoddam & immẽſum bonum doctrina hominib. præſtat, ita vt nemo vnquam tanta fuerit facundia, qui ſatis pro dignitate illam laudarit: quid enim præſtat, (inquies) e rudiũ & imperitorum numero aliquis? imo vero quid non præſtat? Hæc diuina myſteria, naturæ cõſilia & actiones nobis denuntiat: Hæc oſtendit, quo cogitata, dicta, facta noſtra referre debeamus, & cui inſi-

ſtentes itineri mortalis huius vitæ ſtadium recte peragrare poſſimus. Horum omniũ cognitio a doctrina proficiſcitur: quæ ſi magna, atque adeo maxima ſunt, contemni profecto non debet; etiamſi docti plures ad eius pręſcriptum minime viuant: niſi contemnimus quoque arma ſeu armorum officinas, propterea quod nonnulli in bello fœde arma proiiciant, ſeque hoſtibus dedant. Tyrannice imperarunt nonnulli omni doctrina inſtructi, eſto. Num ob id doctrina culpari meretur? non arbitror. Nulla quippe doctrinæ culpa eſt, ſi homines non cogit ad bonum: non enim hanc habet facultatem: poteſt quidem monere, erudire, impellere denique, vt ad meliora ſe conuertant, & virtutis partes ſequantur: ſed cogere non poteſt. Atque id ipſum quod cogere non poſſit, hominis gratia inſtitutum fuit, vt boni cuiuſque operis doctrina inſtrumentum, homo dux eſſet, & hinc homini laus præmiumque accederet. Si enim doctrina hominem cogeret ad bonum, doctrina homine vteretur,

tur,

tur, omnisque actio honesta doctrinæ adscriberetur, non homini: nunc meliori ratione effectum est, vt homo doctrina, non vt doctrina homine vtatur. Sicut nec in naui clauus vtitur Gubernatore, sed Gubernator clauo: ideo recti cursus laus non clauo, sed Gubernatori debetur. Denique vt res melius perspiciatur, ponamus nobis ante mentis oculos Principes duos; malum vnum, bonum alterum: & videamus quid doctrina si adsit, in vtroque, possit. Deinde si non adsit, quid ex eo sequatur. Et malus quidē princeps etsi doctrinā teneat, qua rempublicā administrare queat, tamē ei non assentitur; contrariaque si agat, id sibi & rationibus suis putat fore vtilius: ideo nihil ea vtitur. Itaque siue Phalaris, siue Cæsar, siue quis alius Tyrannidem affectauit & hanc consecutus, Tyrannice imperauit, huic doctrina non ipsi, non populis profuit. Fateor, Alberte, & memento me hoc tibi affirmasse, in Tyranno doctrinam, nec ipsi, nec populis ꝓdesse, sicut nec aurum, nec argentum prodest mortali-

um nemini, si eius dominus ad ostentationem tantum, non ad fructum aliquem, vtatur. At in Principe bono quis effari queat, quantam doctrina populis afferat vtilitatem? quantamue iucunditatem? Hic est quem cupimus gentibus & nationib⁹ imperantem videre: qui velit & possit legitime imperare: nã vt velit efficit iusticiæ amor, & cultus vt possit, a doctrina mutuatur. Hoc ego Principe nihil statuo in terris gloriosius, nihil splendidius: cui ad rectam voluntatem accessit egregia scientia, tum multo vsu, tum assidua disciplinarum tractatione comparata. Parum ne igitur tibi doctrina, Alberte, videtur posse, si in eo, qui bonus studet esse Princeps, id agit, vt quod cupit, efficiat? nam voluntas ipsa non multum laudis habet, nisi res sequatur. Hoc est illud, quod momenti duco esse in doctrina, quod per eam efficit Princeps iusticiæ studiosus, vt cum omni virtute & tranquillitate populi, quos sub se habet, felix agitent æuum: hoc doctrina absente contingere nequit,

vult

vult quidem ille hoc efficere : ſed nequit propter inſcitiam. Ex hoc maxime perſpici poteſt, quantum præſidii ſit in doctrina ad beatum populorum regimen, quum adeſt, ſi cogitetur, quantum afferat detrimenti, vbi abeſt. Loquor autem de bono Principe, cui ſalus & beatitudo populorũ ſit cordi. Nam in malo principe doctrinæ inopia nullũ affert populis detrimentum, quoniam, ſi eius habeat copiam, nihil magis vteretur, quando ſemel ſtatutum eſt ei malum eſſe, Tyrannice imperare. Itaque iam, vt concludatur hic ſermo, Alberte, ſic habeto, me plurimi facere doctrinam in Principe eo, qui iuſte ſtudeat gerere principatum, quo ſtudio teneri cunctos Principes oportebat. Nam doctrina id efficit, vt conatus ſuos ad optatum exitum valeat perducere : quod vnum maxime ſpectatur. Nam conſummatio operis pene ſola commendat artificem. In malo autem Principe doctrinam non requiro, quia nullum ab ea populis iuuamen profi-

ciſcitur, poſtquam malus eſſe vult, & libidinem ſuam iuris ſtatuit eſſe menſuram. Fruſtra igitur mihi obiiciebas, Alberte, Tyrannicam vitam eorum, quos doctos fuiſſe conſtabat. Nullam ego in Tyrannis doctrinam deſidero: quoniam in illis omnis doctrina ſuperuacanea eſt cui non parēt: quam non auſcultant: verba tantum eſſe: quæcunque de virtute traduntnr, exiſtimant. Neque ego dum in Principe doctrinam requiro, de huiuſmodi monſtris & prodigiis loquor: ſed de eo, qui ſaltem hoc principis titulo ſit dignus, hoc eſt, qui honeſtatis curam aliquam habeat, cupiatque legitime principatu vti. Nam, vt quod expetit, aſſequatur, doctrina inſtructum ad tanti muneris tractationem accedere cupiebam: huc tendebant ſuperiores noſtri ſermones, quos tu falſo de tyrannis quoque haberi arbitrabaris: non enim illos reſpiciebam. His ego rationib. protectus dico in principe, recte imperii cupido neceſſariam doctrinam tanquam clauum, nudam autem volūtatem nihil, aut parum proficere.

ficere. Nam quod subiecisti deinceps, Alberte, naturam ad recte imperandum plus valere, quam doctrinā, vide ne id tibi concedi nequeat. Fac principem sponte sua propensum esse ad iustum rectumque colendum: cupere instinctu quodam mentis, vt omnia iure & legibus gubernentur: nolle obsequi libidini suæ: nullane impediunt, quo minus in proposito susceptaque sententia permaneat? At quam multa sunt? Primum voluptas irrepit, suauiter affluens sensibus, eosq; leniter demulcens: cui, quoniam domesticus est hostis, & naturalis cuiusdam boni speciem præ se fert, non facile obsisti solet. Consuetudo vero horum temporum quantum ei auctoritatis præbet? quantum licentię? qua pro nihilo habetur adulteria stupraque in domos castas intulisse: virginalemque verecundiam prostituisse: maritaleque fœdus, & thorū illum legitimorum amplexuū conscium probro temerasse. Hæc passim admittuntur, quia impune fiūt & nulla horū sunt iudicia: dormit enim (vt est penes quen-

dam Poetam) Lex Iulia: quãquam & cæteræ iam leges eodẽ exemplo conniuere videntur. Demum non eſt aliud, quod æque frangat animos, humique deiiciat, quam libido oculorum reliquorumque ſenſuum, & circumfluentes vndique voluptates. Quid auaritia ipſa? Parumne detorquebit de recto ſenſu Principis? ſuadens in ſummo faſtigii culmine poſito multa eſſe paranda, atq; adeo rapienda, vt poſſit omni cũ elegantia & copia, magnoq; rerum ſtrepitu intra principalẽ aulam degere, & nulli hominum in diuitiis & apparatu eſſe ſecundum. Quis tunc obſiſtet? nam priuatos a rapinis legum iudiciorumque motus coercet. At principis poteſtas ſupra hæc eſt omnia: non cohibent ſcriptæ leges Principem; quin etiam per ipſas leges ſola Principis vita exlex ſtatuitur. Iſta vero quantum incendit? quæ obliquos agit viros, etiam graues: & nihil fere aliud in homine tam turbat rationem, quam feruor ille mentis, quo nos læſos dolemus, & vlciſci affectamus. Hos vehementiores animi mo-

mi motus iugum rationis excutientes, & poſſe ſe ferre negantes, priuati homines, quamuis natura & moribus bene conſtituti, difficulter repellunt: Principes vix poſſe videntur: ita multa perditi, quos circa ſe habent, moliuntur: tot machinis oppugnant vitiis fauentes ſuis, vt omnibus opus ſit pręſidiis doctrinæ ad conſeruandum in eo rectæ naturæ ſtatum. Atq; hæc de moderato principe dicuntur, qui habet aliquã curã honeſtatis tuẽdę propter naturalem pudorem, vt multis in aduerſum impellentibus vix ſine literarũ ſtudio ſtare poſſe videatur. Sed quid erit, ſi fuerit aliquis natura ad iniuſtitiã procliuis? qui crudelitatẽ non horreat? auaritiam diligat? intemperantiam etiã amplectatur? neq; a ſuis, qui deprauare magis ſolẽt, neq; a doctrina, quã nullã habet, a turpib⁹ reuocet? An nõ tunc, veluti torrẽs quidã iniquitatis agros vrbesq; inundãs, obuia quæq; trahet, rapiet, diſperdet, lacerabit? quem tutum a tã immani & truculẽta beſtia reddet virtus? quẽ egregia geſta? quem generis nobili-

tas? quem diuitiæ? quibus etiam irritabitur. Lege quæso, Alberte, iniquorum Principum gesta, horrebis animo tam tetra legens facinora. Alb. Legere me aliquādo memini. Mar. Reminiscere ergo fœdissimarum illarum mortium, cum lacerabantur humana corpora minutis ictibus repetita: nam celeritas mortis beneficii loco ponebatur. Cum quidam ad supplicium duci iussus rogaret Tiberium Cæsarem, vt vno ictu concideret: tum ille, Nondum (inquit) tecum in gratiam redij. Illa enim Caligulæ vox, quam impura? quam nefaria? cum non simplici contentus morte illud passim effunderet: Moriatur, & ita moriatur, vt mori se sentiat. Num tibi, Alberte, vox hominis & ad hominem videtur? Alb. Polyphemi mihi hæc vox videtur, vel anthropophagorum quorundam ad socios facta, si modo vlli vnquam tales fuerunt. Mar. Atqui horum nefandorum suppliciorum caussa erat nuda, quandoq; Principis libido, sæpius leue aliquod dictum, vel suspicio quæ-

dam.

dam ALB. Optabile ſub tali domino exilium & fugam felicẽ. MAR. Miſerrimi ſane erant, qui comprehenſi talia perpeti cogebantur, quando etiam crudelitas acerba & miſerãda eſt inſpicientibus. Quis enim paululum humanitatis habens humanũ corpus lacerari, & ſingula membra cruore rorantia, vel in hoſte libens videat? At ij, quibus aſpera eſt natura, nec vllum cum Muſis commercium, quæ manſuefacere feros & indomitos eorum animos poterant, vbi dominãtur, paſcere oculos gaudent miſerorum ſuppliciis nefandis. Nihil illis dulce præter vinum & iniuriã, ne Veneris quidẽ voluptas grata, niſi illicita ſit. BAP. Recte vituperas Marchos, qui tam ſęua inferunt ſupplicia. Principẽ namq; oportet velocem eſſe ad præmia: tarde autem ac prope faſtidioſe ad pœnam ſe commouere: & de multorum tunc conſilio. Hinc Iouem finxit antiquitas, cum auxilij aliquid & vtilitatis mortalibus importare velit, id ſolum facere: ſed vbi fulmine nocere vult, vel tempeſtate aliqua fœda, vel

terræmotu, vel bello aut peſtilentia, duodecim aduocare: illiſque auctoribus ad vindictam ſe conferre. Sciebat ne id antiquitas? Minime: quando enim cælos conſcendit, vt renunciare potuerit, quæ illic fierent? Sed exemplum regibus proditum, vt eadem facerent. Nam Iouem ſummum Deorum omnium errare non poſſe cenſebant, & tamen hūc in puniēdis ſceleribus illo more vti voluerunt. Mar. An non optimū quoq; illud Socratis, quod in illos triginta Athenarum tyrannos eiaculatus? qui multos indemnatos ciues occiderant propter pecuniam, & amicis concedebant parē licentiam, mirū videri ſi malus haberetur bubulcus, qui concreditos ſuæ curæ boues indies pauciores faceret, & peiores. Recte autem exiſtimet ſe ciuitati præeſſe, qui populum quotidie minorem faceret & deteriorē. Bapt. Sapienter quidem Socrates, vt omnia: quanquam ob hęc & ſimilia dicta increpatus fuerit a Cretia tyrānorum illorum acerrimo, & monitus, vt deſiſteret, parumque abfuerit, quin occiſo-

occiſorum numerum augeret. Sed poſtquam in hunc ſermonem ſuppliciorum Tyrannicorũ incidimus: occurrit nonnullos eſſe, qui, etſi in reliquis criminibus legitimo iudiciorum more vtendum putent, in maieſtatis tamẽ iudicio quiduis licere arbitrantur, & a quæſtionib. accipiendũ affirmãt. Itaq; qualibet vel ſuſpicione cõprehenduntur homines, & acerrimis tormentis interrogãtur: Occiduntur quoq; vel in exilia nudi pellũtur, quaſi eo melius cõſeruetur maieſtas, quo durius violatur humanitas: cõpertum ſatis putãt de crimine, vbi in reũ prona eſt quęlibet ſuſpicio. Ego, quod iſti faciunt, nũquam lege ſancitũ reperi, nec ab vllo prudenti Iuriſconſulto reſponſum animaduerti. MAR. Dubitaſne frater, quoties hæc gerunt, quin ad meram gerantur libidinẽ? BAP. Vt non dubitem iniqua iſta geri, illud facit, quod ſuadet ratio: ne ambigua in re certa feratur ſentẽtia, & præſertim vbi de crimine incumbit damnatio: nam illic probationes luce meridiana clariores requirimus. Concedũt leges

damnationem, ſed in confeſſum vel conuictum. Nunc quæ eſt impudentia, vel quantus potius furor? Non es certus de crimine, & tam ſecure procedis ad pœnã. At hic igitur (inquiũt) de maieſtate læſa, quo crimine non aliud atrocius. Scio & concedo, vt ipſa mouearis criminis atrocitate, probati ſcilicet non accuſati: nam vel innocentia ipſa nocẽs eſſet, ſi ſolum accuſaſſe ſufficiat: nec quod atrox ſit crimen, ideo probationes non quærũtur, imo eo grauiores quærũtur, quod tantum crimen admiſſum facile credi non poteſt. Animaduertit Senatus Romanus, M. Tullio & C. Antonio conſulibus, in P. Lentulum prætorem & coniurationis ſocios, ſed detecta iam erat coniuratio indiciis, confeſſionibus, teſtibus, literis denique reorum: rite tunc illi pœnas ſceleris ſui dederunt, at donec latuit coniuratio, nemo in crimen ad iudicium vocatus, tantum, quæ erant ſuſpecta, cauebantur. Sic agere oportet Principem cum ciuibus, vt in eis nõ ſuſpiciones, ſed crimina puniantur. Mar. Nemo te au-

te audiens, Baptiſta, non verum dicere exiſtimabit, idque more tuo facis, quo conſultus inconſultuſque veritati aſſidue inhæres. Principum iniquorum hæc eſt ratio, qui, vbi de Imperio ſuo agi ſentiunt, timentes ne immi-nuatur aut labefactetur, proſpiciendum ſibi putant miſerorum exiliis aut pœnis, & quicunque degũt in illorum comitatu, gratificari ſe illis putant, ſi acerrimos ſe præbeãt criminis inquiſitores, vel quarumlibet ſuſpicionum vltores. Itaque multa abſurda & grauia conſequi neceſſe eſt, vt quæ nulla ratione gerantur. Bonus autem Princeps, idemque doctrina pollens nihil huiuſmodi molietur. Quis M. Antonino e Romanis Principibus doctior vnquam fuit? quis Philoſophiæ præceptis inſtructior? quis eodẽ mitior, lenior, humanior, clementior? Illud indicat, quod cum ad eum Ælius Verus, qui collega fuerat, imperij literas dediſſet, quibus ſignificabat Auidium Caſſium affectare tyrannidem, hortareturque, vt morte ipſius ſibi ipſis cõſulerent, in hũc fere modum Marcus

rescripsit: Quæ te mala impulit ratio, vt tam solicite metueres. An tibi videmur posse in Auidiũ aliquid statuere & animaduertere, nullo teste conuictum? cũ in caussa maiestatis quicunq; etiã legitime damnatus, tamẽ oppressus semper putetur. Aut.n. dii immortales voluerũt Cassium sublatis nobis imperare, & hoc vitare nullo modo poterim⁹, aut si aliter fatũ manet, ipse spõte sua cadet. Nemo qualibet sæuitia & feritate præditus successorẽ vnquam suum peremit. Suos igitur sibi mores habeat Cassius, & quantum ad nos attinet, viuat, pręsertim cum Dux bonus bello sit, & veterum illã Cassianã seueritatẽ militib. & Reip. præstet. His & talib. sententiis pugnans Antoninus facile vna epistola collegæ cupiditatẽ arcuit. Verum cũ multis post annis Cassius aperte desciuisset, fuissetq; ob eã rem a militib. totius pene orbis cõsensione interfectus, ægre tulisse Marcus dicitur, q̃ nõ vnius potius in potestatẽ venisset, vt officia in eum sua cõmemoraret, & seruaret. Vxorẽ deinceps & liberos eius incolumes p̃stitit,

ſtitit, quib: etiã dimidium patrimonij paterni reddidit, petiitq; a ſenatu, ne in ſocios & cõſcios defectionis grauiter vindicarẽt. Idem hic Imp. qui Philoſophus & erat & habebatur, grauia bella tũ per ſe, tum per legatos confecit, omnib. Reip. munerib. vigilanter aſtitit, virtutib. honores & p̃mia reddidit, ſcelera exſtinxit, pacẽ ac ocium pop. Rom. & ꝓuinciis omnib. labore ſuo parauit. ALB. Hic ergo oſtendit veriſſimam eſſe illã Platonis vocem, beatas illas fore reſpub. vbi aut Philoſophi regnarẽt, aut reges philoſopharentur. MAR. Hanc vocẽ Platonis auream idẽ Marcus vſurpare quoq; crebro ſolebat: nec vſurpaſſet, vt opinor, ſi diſſimilia facta verbis p̃ſtitiſſet. Intelligit aũt eum Philoſophũ eſſe Plato, qui nõ doctrina tantũ, ſed vita quoq; & morib. ſit Philoſophus. Dixi antea nõ officere populis, ſi malus Princeps doctrinã habeat nullã: hoc accipi volo de morũ doctrina, q̃ iniquitati deditus etiamſi habeat, nõ audit. At naturaliũ rerũ inſcitia fateor non modo moderatos Principes, ſed etiam ma-

los plura in se & alios peccauisse. Hoc admonuit epistola Antonini prudentissime scripta, & id quod a Domitiano insulse, ne dicam improbe & crudeliter, gestum est. Alb. Quidnam hoc est, quod a Domitiano gestũ dicis inique? nam epistolam Antonini nuper audiuimus. Mar. Domitianus Imperator bacchatus est cædibus & rapinis in senatores equitesque Romanos. Inter ceteros Metium Pomposianum iussit interfici, propterea, quod genesim haberet Imperatoriã. Hoc audiens exclamare cogeris magnam inscitiam fuisse præcepti? Si enim considerasset Domitianus, quod in epistola Antonini nuper recitatum est, nunquam se cæde illius viri contaminasset. Illius namque vox est, quod successorem suũ nemo vnquam peremit. Fac enim esse in sideribus, (quod ego non credo, nec vnquam prudentibus viris suaderi potuit) sed fac eam esse in siderib. vim, vt certo loco collocata, quo die Põposianus nascitur, efficiant vel indicent eum Imperatorem, & id necessario euẽturum, nulla

causſa

caussa Domitiano, cur eum interfici iubeat, nõ loquor de legitima caussa, sed temeraria: Si enim ex siderũ positione, quæ nascenti Pomposiano affuerunt, portenditur eum necessario Imperatorẽ fore, profecto antequam Imperium adipiscatur, occidi nõ poterit, non si millies quidem id iubeat Domitianus. Quamobrem frustra iubetur occidi, siue genesim Imperatoriam habeat, siue non habeat: si enim habet, occidi non poterit: sin occidi poterit, non habet. Sic etiam conficitur, vt varie timeatur, id quod aut futurum non est, aut si erit, euitari non potest. An ita defendetur Domitiani factum, vt dicatur siderali lege dispositum Pomposianum imperaturum, nisi iussu Cæsaris fuerit interfectus: hoc si sumserit aliquis, sumet alius, nisi antea morbo perierit, vel nisi illud, vel illud fecerit, alius deniq; aliud excipiet, ita vt non videantur sidera ratum aliquid & fixum ostendere, sed dubia omnia & fluxa. Quamobrem, qui conuenit incerti euentus gratia certum suscipere flagitium? Intelligi-

tur iam (vt opinor) ex inſcitia dominantium proficiſci cædes virorum illuſtrium, quæ non modo ne male, ſed ne fruſtra etiam committantur, doctrina præſtare poteſt. Simili veſania captus Valens, qui cum Valentiano fratre Romano præfuit Imperio: is quum de ſucceſſore imperij quæreret a Magis, audiſſetque ab eis ſucceſſurum eum, cuius nomen a quatuor his literis initium duceret TH. E. O. D. multos nominis cauſſa peremit, quaſi illos inſidiatores haberet imperii, aut illo pacto efficere poſſet, vt ſucceſſore careret. Occidebãtur ergo Theodori, Theodoti, Theoduli, Theodorici, quicunq; in capite ſui nominis illas literas habebant, quin etiã Theodoſtulus quidã ex Hiſpania, vir fortis occiſus eſt: quo animaduerſo plurimi periculi effugiẽdi gratia nomina ſibi mutauerunt, & nunquã ſe priorib. nominibus appellatos fuiſſe, pernegabant. Quid porro ꝑfecit illis cędib. Valens? certe præteriit Theodoſium Honorij filiũ ex eadẽ Hiſpania oriundũ, quem ſucceſſorẽ illæ Magorũ ambages denota-

notabant. His addo Neronẽ, qui ante simili vsus est feritate in caussa. Nam cum eo imperante visæ essent sæpius stellæ, quas Cometas Greci nostri crinitas vocant, & anxius esset, q vulgo credebatur earum conspectu summis potestatibus exitium portendi, vbi a Babila Astrologo admonitus est, solere reges talia ostẽta aliqua illustri cæde expiare, & a semet in procerũ caput cõuertere, statim in nobilissimum quemq; variis occasionibus al:a:is sæuire cœpit, & ea in re non domesticis, non exteris pepercit: stulte quidẽ & insipiẽter, si hac ratione credidit stellæ fatũ vitare. Si enim illorũ crinium radiis interitus fuerat prænũciatus ei, qui rerũ potiretur, quomodo pestem debitã a se poterit auertere, & in alios deriuare, quasi ignaro sidere, quẽ notaret? Quod si dicatur sidus illud malignũ esse vsq; ad necẽ illustrib. viris, quæro vtrum omnibus malignum, an quibusdam duntaxat? Si omnibus, ergo & Imperatori? Nõ igitur fatum euadet. Si quibusdam tantum, necesse est alterutrũ, vt in numero paucorũ,

quibus denuntiatur interitus, includatur imperator, aut non includatur: nihil poteſt eſſe tertium. Si includitur in illorum numero, certe occidet, nec elabetur, etiamſi plurimos interfecerit, ſin extra illorum numerum fuerit, quibus dira portendãtur, quid opus eſt aliorũ cædes moliri ſua cauſſa, cum ipſe in tuto ſit. Nulla igitur ratio, cur, vbi ſe oſtẽderit crinita ſtella, irruat Princeps in aliorum cædem: ſiue denunciet ſtella illi necẽ, ſiue non denuntiet: nam in altero ſtellæ vis euadi non poteſt: in altero nihil ad illum. Male igitur ſibi cauet aliorum Illuſtrium cædibus, aut cum his morituro, aut ſine his victuro. Vnde igitur tãta illa in Nerone crudelitas? Apparet ex inſcitia ortam, ſi hæc non vidit, ſed & aliud potiſſimum videre debuit, ſtellas has cum longo illo crine gigni naturalibus de cauſſis, quas explicant hi, quibus talia indagare curæ fuit. Quod autem fit naturalibus de cauſſis, non portenti loco habẽdum, niſi forſitan commouemur eo, quod raro viſuntur, ſed nõ quodcunque raro fit,

ro fit, id portentum eſt: Nam ſi ita eſſet hermaphroditum gigni, aut tergeminos naſci, portenti loco haberetur: raro autem viſuntur, quia ea, quibus eorum fit ortus, raro quoque concurrũt. Rectè ergo Veſpaſianus, cui cum ex amicis nõnulli renunciaſſent, iam pluribus continuis noctibus ſtellam crinitam fulſiſſe, quaſi ſaluti eius metuerent, irriſit qualecunq; hoc oſtentum, & id nõ ad ſe dixit, ſed ad Regem Perſarum pertinere, qui bene capillatus eſſet. Octauiano quidem Cæſare initio potentiæ ſuæ ludos funebres in honorem Cæſaris dictatoris auunculi celebrante, apparuit huius generis clarum & perlucidum ſidus ſub vndecimam horam diebus ſeptem, id ille diuinitati Cæſaris aſcripſit, demum ſibi poſteriſque proſperum & ſalutare credidit. Et omnino, ſiquidem in talibus ominandum eſt, docet læta magis & iucunda, quam triſtia ominari, docti autem viri quandocunq; appareant hæc cœleſtia ſigna, neutram in partem illorum aduentum accipiunt: norunt enim vnde proficiſcãtur: qua-

tenus permaneant, quomodo exſtinguantur: diſcutiunt ratione vanam ſuperſtitionem. Illud quoque oſtendit, naturalium cauſſarum cognitionem vtilem Principibus, noxiã ignorationem, quod Niciæ Athenienſi, & Dioni Syracuſano contigit. (Tranſeo namque ad Græcorum exempla) Nicias Athenienſium dux, quum valido exercitu Syracuſas obſidione premeret, mox variis detrimentis acceptis, non iam de victoria, ſed ſua militumque ſalute ſolicitus abſcedere cupiebat, & clandeſtinam profectionẽ moliebatur, & ecce in ipſo profectionis articulo Luna repente noctu defecit: quo cõſpecto adeo perturbatus eſt, & deterritus Nicias, vt cõſilium ei deeſſet, quaſi tenebris mens eius obruta, non Luna fuiſſet. Exiſtimabat enim aduerſo Deo ſe iter illud ſuſcipere: & magnam ſibi exercituiq; ſuo calamitatem denuntiari, eo quod paulo ante luminoſum ſidus ſubito obtenebratum exſtitiſſet. Nõ enim nouerat, Lunam illud perpeti ſtatis temporib. interiectu terræ inter ipſam & ſolem,

quod

quod ſi non philoſophica, at humana ſaltem ratione, id quod factũ fuerat expendiſſet, proſperum illud ſignum potius, quam aduerſum, iudicaſſet, quoniam clandeſtinam fugam meditantibus & fallere cupientib. tenebræ, quã lux, aptiores. Verum dum inani ſuperſtitione ob imperitiã detentus, iter illud diſtuliſſet, deinde diceret alterum Lunæ circuitum exſpectandum, vſque eo deſedit, ſacrificiis quibuſdã placans Deos; donec hoſtes auctis copiis caſtra eius circumuallarũt, qui deniq; ipſum oppreſſum, cunctumq; exercitum deleuerunt, eaque clades grauiter (ſi quæris) Athenas afflixit. Nam periit ipſe vna cũ quadraginta hominũ millibus, vir ceteris in rebus memorabilis, & bellica olim gloria inſignis. Non ſic Dio, non ſic, qui vnus ex familiaribus Platonis, & ab eo Philoſophiæ imbutus præceptis, cum e Zacyntho aduerſus Dionyſium ſolueret, & per idem tempus Luna defeciſſet, nihil ea re commotus cœptum peragens iter Syracuſas applicuit, & eiecto Tyranno

iura & libertatem ciuibus reddidit. Laudatur tali in re C. Sulpitius Gallus, qui cum tribunus militum secundæ legionis militaret in exercitu Paulli Æmilii consulis, quē aduersus Perseum, Macedonum regem habebat, militibus in concionē permissu Consulis vocatis, pronuntiauit nocte proxima ab hora secūda ad quartam vsq; Lunæ defectum, admonuitque ne id portenti loco ducerent: Id enim naturali ordine statis temporibus fieri, & sciri antea & prædici posse, & vt sæpius vidissent nō pleno semper orbe, sed exiguo quandoque cornu fulgere Lunam, nec tunc mirarentur, ita nec mirari oportere, si aliquando obscuretur, quum terræ vmbra condatur. Quum deinceps, vt prædictum erat, Luna defecisset, milites Romani neutiquā perturbati sunt huiusmodi spectaculo, sed sermo inter eos manebat de Galli sapientia, quæ propemodum diuina illis videbatur. At in Macedonum castris omnes afflictabantur, vt prodigium quod factum fuerat accipientes, occasum regni, perniciemq;

gentis

gentis portendi opinantes, nec antea clamoribus vlulatibusque cessatum, quam Luna in pristinum lumen rediret. Tantum interest scire, quo rem referri oporteat. Sed scientiam quoque naturalium rerum in re militari prodesse Imperatori ostendit C. Cæsar bello Alexandrino. Nam cum insequens Pompeium Alexandriam se contulisset infirmis præsidiis, eaq; in vrbe obsceisus teneretur a regiis exercitibus, & aquę inopia laborarent milites Romani, iamque fugam meditarentur omnes, quæ nec honesta nec tuta esset, iussit confestim effodi puteos, asserens quod aqua sequeretur, propterea quod litora omnia naturaliter aquæ dulcis venas continerent, quod cum esset factum, magna vi aquæ inuenta exercitui suo subuenit. Hæc exempla qui viderit, nõne Principem magis, quam quẽquam alium, doctrina instructum esse censebit oportere? Tanta est in humanis sensibus procliuitas ad malum, tam faciles lapsus, vt arte opus sit, vt quis stet, nec cadat. Nam priuatos multa cõtinent,

ne pareant cupiditatibus, legum metus, vulgi existimatio, amicorum inimicorumque libertas, horum in exprobando, illorum in obiurgãdo, demum tenues plerisq; opes, vt nequeãt quod cupiunt, implere. Nihil hæc ad principem, qui nec leges, nec populum curat: non amicus adest, qui corripiat, non inimicus, qui coarguat, non etiam rei difficultas illum moratur, cuius nutum cuncta sequuntur. In tanta licentia viuendi positus, mirum, si non ostendit illud verissime dictum fuisse, cui licuerit, quod vult, statim volet, quod non licebit, licentia enim (vt inquit Comicus) reddimur omnes deterios. Magnum tunc fuerit, si sponte sua virtutis semitam volet ingredi ascensu arduo, ac non præceps in luxum & rapinas feratur, quo illum & cupiditates humanæ & adulantium greges trahunt nullo reuocante. Aristoteles inquit in Politicis, Magno opus esse studio iustitiæ & temperantiæ his, quos Poetæ fingũt Insulas incolere fortunatas, ne in tanto illo ocio & abundãtia bonorum

rum petulantes euadant. Præclare id quidem, quod tamẽ verius competit in istos principes, qui abundantes iis rebus omnibus, quę beatos facere putantur, facile corrumpãtur, & in quælibet vitia perducũtur. Nec vero aliter contingere potest, quãdo existimantes se beatos nullam, aut exiguam admodum curam suscipiunt honestatis. Res ipsa indicat, non sermo vanus. Nã e magno Principũ numero, quos secula tulerũt, eorũ qui legitime functi sunt hoc munere, nomina parua capere tabella posset, infinita est autem multitudo eorũ, quos læta & prospera stationis huius vicerunt. At quid tam diu loquor? quasi declamatorio fungar munere: nec vobis partem vllam mutui sermonis relinquo? Sed rapuit me impetus dicẽdi, & feruor quidam mentis aduersus eos ꝓcliuis, q negant Principib. viris scientiã nõ modo non necessariã, sed ne vtilem quidẽ fore. Nam contrariã sententiã meliorẽ esse ostendendũ fuit: idq; dum ostendo exẽplis ex omni antiquitate collectis, incidi in hãc sermonis lõgitudinem:

neque enim tanta res breuibus peragi poteſt, plura etiam addi poſſe confiteor, quæ vobis meditãda relinquo. ALB. Tu vero nihil reliqueris meditationibus noſtris: imo a te petimus, vt quicquid adiici iam dictis poſſe cognoueris, id proferre ne graueris, nec te longitudo moueat orationis. Nam non debet longum videri, quod ſuſceptæ mat[illegible]iæ tractationi conuenit, ſiue id valeat ad docẽdum, ſiue ad ornandum, ſiue ad vberius commouendum. Non enim tam impetu ſuo proficit oratio, quã mora, ſicut nec ignis, nec imber, nec alia multa. Quod vero impudẽter tibi videris facere, quia ſolus pene loquaris, ac non in partem ſermonis nos voces vel admittas, memento principatũ tibi huius ſermonis traditum. Itaque perpetua oratione vtaris licet, ſi videbitur, poſthac. MAR. Mos dialogorum hoc habet, Alberte, vt miſceãtur ſermones: nam etſi quiſpiam ex cœtu dux ſtatuatur ſermonis, poteſt alius tamen contradicere his, quæ dicuntur, vt obiecta diluantur. Licet quærere ignoratum aliquod,

aliquod, nec non fas est confirmare iam posita, & adiicere pondus auctoritatis suæ. Interrogari etiam a dicere quilibet audientium potest, vt necesse sit tunc ei, qui interrogatur, respondere. Aristoteles in libris, in quibus summam adhibuit diligentiã, & quos ab eo editos sine vlla dubitatione cõstat, nõ vtitur huiusmodi collocutionibus, sed ipse perpetuo loquitur, nec vtitur pręmiis, aut vllis aliis sermonib. ad iucunditatem, sed statim rẽ aggreditur, & assidue vrget, nec oscitare lectorem patitur, ipse quæstiones sibi ipsi proponit, idemque dissoluit. Eius magister, Plato Dialogos est secutus, quamuis Philosophicas res tractaret, nec vlla refugit ornamenta dicendi, fusus in omni sermone, & præstitisse eloquentia putatur omnib. quorũ exstant monumẽta literarũ. Hunc imitatus Cicero, cum Philosophiã Græcis antea literis tãtummodo explicatam cuperet Latino ipse sermone illustrare. Nam collocutionibus vtitur, rem peragens lectoribus (vt opinor) non ingratam. Nec defuerũt postea,

nec nunc etiam desunt periti homines, & in disciplinis plurimum versati, qui studeant dialogos componere, & vulgo legendos tradere. Cum enim animaduersum esset, hanc varietatem mixturamq; sermonis, quæ inter plures habetur, in comediis tragœdiisq; admodum placere: hunc eundẽ morem docti viri ad res graues & serias transferendum sibi esse existimarunt: non vt voluptatẽ tantum nudã & inanẽ pręstarẽt, sicut tragœdi & comœdi solẽt, sed vt cũ voluptate facerẽt prouentum. Nã seueram grauemq; lectionem pleriq; refugimus, nisi iucunditate quadam condiatur. Ergo iucunda in dicendo miscenda sunt grauibus, neq; id sine exemplo. Nã medicos videmus, idq; secũdum artis præcepta, moliri multa ad suauitatẽ erga ægrotos, vt illis asperitatẽ tẽperent remediorũ: quin ipsa etiã natura parẽs tristib⁹ læta immiscuit, ne illa opprimerẽt, si perpetua fuissent. Ergo postquam hoc sermone, qui de doctrina Principũ institutus est, id suscepimus, vt inuicem colloqueremur, idq; ha-

ctenus fecim⁹: idē in mediis & postremis partibus censeo faciendum. Nam & iucundior fuerit sermo hac varietate collocutionem temperatus, & mihi quoq; gratior, qui per interualla cupio cōquiescere. BAPT. Postquā id, Marce, appetis, non deseremus partes nostras, tuisq; sermonibus nostros implicabimus, vt pro hoc Alberto pariter respondeā. Verum tamē, si recte animaduerti, nō multum tibi restare sermonis intelligo. Nā & argumēta allata sunt plurima, quib. ostenditur, q̄ ꝓpositum fuit, doctrinā recte imperare cupientibus, nō modo vtilem, sed necessariam quoq; fore: deinde obiecta fortiter diluisti: exempla etiā sapiēter attulisti, vt rem ipsam oculis quodammodo subiecisse videaris. Hęc ego sufficere arbitror, nec quid adiici possit, teneo. MAR. Si id tantum inspicimus, Baptista, quid sit, quod res, de qua quæritur, necessario postulat, vt doceatur; satis dictum existimo, nec alia opus esse adiectione: sin autem illud contemplamur, num omnia posita sint, quæ ad ornatum fa-

ciunt, & corroborationem iam dicto-
rũ, dubitare nunc cogar, nec vnquam
id affirmare vellem. Video namque
artifices, tametsi rem se perfecisse ar-
bitrentur, opus tamẽ adhuc suum ex-
polire, & manus addere: certe picto-
res ipsi multa addunt extra ordinem,
quibus illa primum elaborata effigies,
quæ est in tabula Princeps, gratior
reddatur, & ornatior. Quid igitur ꝓ-
hibet, quin huic sermoni accedere
possint plurima, quę rem ipsam magis
augeant & illustrent? Alb. Si igitur
accedere iam positis posse putas plu-
ra, da operã, vt ea nobis exhibeas, nec
in aliud quæso differas tẽpus. Mar.
Faciam, quod vos velle video, vtroq;
tamen vestrũ interloquente, vbi fue-
rit visum. Alb. Sic fiet. Mar. Ter-
ret me nunc, Alberte, solitudo bono-
rum Principum. Nam si hic sermo in
vulgus exierit, metuo discerptionem
a malis, qui contra se hæc cogitata ar-
bitrabuntur. Alb. Quid hoc ad te,
Marce, si sermo tuus discerpatur a
malis? Mar. De me ipso metuo, Al-
berte, ne discerper ꝓpter sermonem:
nam

nam de ſermone ipſo nihil laboro. ALB. Sermo iſte inter amicos paucos ſit, qui non exierit foras, niſi te permittente: quāquam, etiamſi exierit, nihil tibi cenſeo metuendum: nam aut docti erunt Principes, & hi te magis de his ſermonibus amplectentur: ſuum enim iudicium tuo comprobari gaudebunt? Sin indocti fuerint, ne iſta quidem, quę non mediocrem doctrinam redolent, audire aut legere curabunt, & vt cetera literis tradita, ita hæc quoque contemnent.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber quartus.

MARCVS.

ELigitur Principi, qui nolit vnus eſſe de multis; ſed paruum bonorum Principū numerū augere, ſuadeo ego, imo ratio ipſa ſuadet, vt libris vtatur, quando alia deſunt ſubſidia: illic ſapientiæ hauriet fidiſſima atq; certiſſima præcepta. Illic diſcet rationem e-

ius, quod modo dicebatur, cur omni æuo tam rari fuerint boni Principes: & inueniet oportere Principẽ ſibi ipſi primũ, deinde aliis imperare. Maximus nanq; & difficillimus eſt principatus ſui ipſius: quo efficitur, vt inſitæ nobis cupiditates rationis obediant imperio. At neceſſarius eſt ei, qui hũc ſecundũ, qui eſt ad cæteros, recte geſturus eſt. Non enim qui ſibi ipſi eſt malus, cæteros efficiet bonos: nec qui iniuſtus in ſe eſt, iuſtior erit in alios: nec dignus ſane vt libere imperet hominibus, qui turpiſſimis ipſe ſeruit cupiditatibus. Virtus innoxia eſt: at vitioſa libido ſine alieno incommodo implere nequit, quę tãto pernicioſior in principe, quanto latior: & quod nõ ſolum facto lædit, verũ etiã exemplo. Nam malos principis mores multitudo fere omnis ſequi ſolet. Quod ſi externos hoſtes multi facillime, cupiditates ſuas pauci frangere potuerunt, quid mirum, ſi quod in vniuerſo hominum genere rarum ſemper fuit, id in vno Principum ordine rarius adhuc elucet? ſed quo rarius, eo, ſi contingat,

contingat, præclarius: contingere autẽ vix posse arbitror, nisi quod in nobis naturæ lumen est ad honestissima quæque & iustissima prosequenda, id a doctrina & ab ipsis literarum studiis incendatur. Quanta orationis copia, quam admirabili incredibilique dicendi genere virtutis vim, decus, splendorem summi homines Græci & Latini nobis expresserunt? qua sententiarum grauitate vitia notauerunt? quam validis firmisque argumentis nihil vtile fore, nisi quod honestum esset, docuerunt? quam deniq; iustorum principum multas effigies, non ad spectandum solum, sed imitandum quoque illi reliquerunt summo eorum ingenio expressas & politas? Hæc assidue tractans animus, & in his vigilans pernoctansque curis, fieri non potest, quin recti studio & cupidine veræ laudis incalescat, & se ipso indies fiat tanto melior, quanto maiora illa & sanctiora arbitratur. Hæc sunt firma illa & fixa munimenta, quibus corroborans se inclytus Princeps assentantium voces repellat: & stu-

deat non æque potens, ac iustus videri: His gloriam, his caritatem ciuium, his tranquillitatẽ animi consequetur. Quod si non tantus fructus e literis ostenderetur, sed honesta tãtum oblectatio peteretur, quæ fessum negociis animum exciperet, tamen iusta caussa, cur se illis Princeps daret. Nõ enim parum iucundum est rerum caussas scrutari, Cœli terrarumq; descriptionem tenere, maiorũ gesta, veluti ante oculos depicta videre, & ingenia eorum cõtemplari, qui in dicendo graues admodum ac suaues fuerunt, denique nihil sciẽtia magnarum rerum delectabilius, qua ꝑfusus animus, veluti cœlesti quodam pabulo saturatur, hac vt fruerentur plurimi, & corporis voluptates & diuitias & honores abiecerũt, existimãtes se minus iucũde victuros, si his dediti illã præterissent: ceteræ res, neque ætatum, neq; temporum, neq; locorum sunt omnium, at studia literarum adolescentibus & senibus, priuatis & magistratibus, domi manentibus & peregrinantibus, prospere & calamitose agentib. aptissima

ſima ſunt, nuſquã ingrata, nunquam importuna. Hæc igitur nolim principem abiicere: præſertim cum magna illa & grauis commendatio in vulgus ſequatur, Principem doctrina pollere. Num exiſtimas, Alberte, hanc nullam aut paruam eſſe cõmendationem vbi hic ſermo celebratur in multitudine, Principẽ doctrina omni abundare? aut ſi ea eſt quædã, an non prodeſſe principi putes hanc exiſtimationem hominum atque famam, vt ob id ſe facilius ille regendam committat multitudo, quod plus cæteris ſapere videatur? ALB. Ego & magnam eſſe commendationem hanc in Principe doctrinæ, & non leuiter & ipſi & imperio, prodeſſe puto. MAR. Magnus tunc ſane campus ſubſternitur poetis & Oratoribus, vbi talem inuenerint Principem, quem veris laudibus extollere poſſint. Vis ne, Alberte, aduocem nunc poetas & Oratores omnes, vt dicant ipſi nobis, vel nos ipſis potius dicamus, quod potiſſimum ſequatur, vbi Principem cupiunt commendare? ALB. Aduocare potes: ſed vbi id

ſceceris, iam prædico tibi neminẽ eorum huc hodie vẽturum. Mar. Fingere tamen poſſumus, ſi non omnes, at quam plurimos huc aduocatos veniſſe & adeſſe. Alb. Nihil negocij eſt fingere. Mar. Ergo ad eos, qui conuenerint, hãc habebimus orationem. Alb. Quam? Mar. Ita enim ad eos dicemus: O præſtantiſſimi viri, quorum ea eſt cupiditas claros viros attollere facultate dicendi, cui præcipue incumbitis: vnde libentius laudatis Principem? Nam vbi formam egregiam corporis, validũ membrorum robur, vetuſtatem generis & nobilitatem, opes, imperia, diuitias, potentiam, honores, victorias, triumphos profertis, non principem, ſed fortunæ erga Principem benignitatem laudare videmini. At Princeps tunc ipſe laudatur, cũ magnanimum, iuſtum, religioſum, liberalem, clementem deſcribitis, his tot & tantis laudibus vbi additur Principem magnarum artium ſcientia ſubnixum eſſe talem, tunc plane perfecta redditur cumulataque laudatio, quia apparet

paret virtutum illarum ſtabile fixumque fundamentum, in prudentia, ſcilicet collocatum, nec caſu bonum eſſe Principem, ſed iudicio: æquari tunc cœlo Princeps, & longe lateque ſupra ceteros mortales efferri videtur, cum tot & tantis animi bonis collocupletatus oſtenditur, quæ non fortuito infixa, ſed veluti ex arte comparata obtinet. Maxime vero eloquētiam, qua vos maxime oblectamini, principibus viris conuenire putatis. Quid eſt illud, quod Pelignus Poeta ad Germanicum ſcripſit Cæſarem. Memora mihi, Alberte, carmina illa, ſi tenes. ALB. Credo illa a te, Marce, deſiderari carmina, quæ ſunt initio Faſtorum ſcripta: nam Germanicum alloquens Cæſarem:

Quæ ſit (ait) culti facundia ſenſimus oris,
Ciuica pro trepidis eum tulit arma reis.
Scimus & ad noſtras cũ te tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

MAR. Hic, vt opinor, laudare cogitat, non vituperare: neq; laudaret niſi pulcherrimum quid eſſet in Principe, grauis & ornata dicendi facul-

tas, pollens nō solum oratione soluta, sed etiam carmine. Bapt. Me vero etiam delectat plurimum idem poeta, dum inducit Iuleium iuuenem, id est Imperatoriam sobolem declamatorio sub præceptoribus fungentem munere:

——Status est (inquit) vultusque diserti,
Post vbi pulsa mora est, atque os cœleste solutum,
Hoc Superos, iures, more solere loqui.

Idem Poeta in eisdem de Ponto libellis, dum criminatoriam cuiusdam consularis commendat eloquentiam, illud intulit:

Verba velut tinctum singula virus habent.

Solent illa in prouerbiis vulgo iactari, eloquentiam tristem non esse, & Musicam in luctu importunam esse narrationem. Hic tamen in illis suis Tristibus bonos & sonantes effudit versus, & vicino iam fato dulce quiddam & suaue cantauit. Alb. Nosti Baptista carmina illa de Cygno:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Hoc idem contigit huic Poetæ, vt dulce quiddam caneret in eius funere: nam

re: nam infelicem quoque illam & grauem relegationem ab vrbe ad Arctos vſque, & ſub ipſa Cynoſura funus ipſe ſuum vocare ſolet. MAR. Etſi omnia, quæ exſtant huius Poetæ, præclara ſunt admodum, omnibus illita ingenii luminibus: tamen quæcunq; ſcripſit in illo ſuo calamitoſo exilio, valde placere ſolent: & ea ſenties, Alberte, ab eruditis eximie commendari: qua cogitatione inductus, cum Poeta iſte infelicitatem exilii in aſperis & inhumanis locis efferas inter gentes verſibus Muſarumque cantu leuauerit, illud poſſum veriſſime dicere, literarum ſtudia, vt nihil in ſecundis conferant rebus, in aduerſis magnum præſtare ſolatiũ, & pene omne eſſe leuamentum malorum: idcirco in ſummo faſtigii culmine conſtitutis, quibus alterius fortunæ impulſu grauiores imminere ſolent lapſus, magis atque magis tenenda. Dionyſius iunior, cum tyrannide Syracuſarũ excidiſſet, interrogatus, quid ſibi philoſophia Platoque profeciſſet? Hoc, inquit, quod tantam fortunæ

mutationem facilius fero. Si id ille vere dixit, iniusto viro literarum studia nonnihil profuerūt. Sapientem vero virum quomodo in asperis iuuabunt? vt hæc illa ludibria fortunæ pro nihilo habebit? vt sæuientis tempestatis non modo procellas, sed ictus etiam & fulmina cōtemnet? præsertim cum nulla calamitas peccato suo accidere illi possit: nam peccatum vix recipit consolationem. De hoc Dionysio mihi venit in mentem plura dicere, si vos patiemini, nec molestum putatis. Alb. Quin tu dicis quicquid occurrit: non enim nostrum est præscribere tibi, quid, aut quomodo loquaris, sicuti nec pictori præscribendum est a spectantibus, quomodo vnumquodque pingat, sed ei permittendum, vt ad tabulam suam iam pene elaboratam addat arbitratu suo, quicquid addendum putauit. Mar. Is ergo Dionysius, si quo tempore opes habebat, cordis etiam aliquid habuisset, potuisset Platonis opera & manu de Tyranno in præstantissimum refingi Principem, multamque sibi &

ceteris felicitatē parauiſſet, ſed renuit pati fortem obliterationem morum ſuorum. Erat enim veluti liber quidam mendoſiſſime ſcriptus, qui non alicubi adiecta nota corrigēdus eſſet paucis literis, ſed vna duntaxat litura, eaque perpetua totus erat inducēdus. Maluit aſſentatorum voces audire, q̃ priſtinos mores deponere. Illi enim (vt mos eſt talium) Dionyſium adhuc iuuenem in amores, compotationes, & alia ludicra impulerant: ita vt regia tota ebrietatibus, ſymphoniis, canticis, ſaltationibus, choreis, ſtultiloquiis repleretur. Sed cū Dio amicorū primus hortaretur Dionyſium, vt vanis illis & inſulſis depoſitis cupiditatibus virtutem capeſſeret: daretq; operam Platoni ſummo virtutis & omnis ſapientiæ doctori, demum id ageret, vt regnaret iuſte, ceteriſq; legitimi imperij exemplum præberet: & Dionyſius his auditis oſtenderet melioris vitæ cupiditatem, & ea de cauſſa aſcitus Plato veniſſet: inſurrexerunt iidem, qui ſolebant, & Dionem accuſant affectatæ tyrannidis, illum id age-

re, vt Dionyſius reiecta decẽ millium ſatellitum cuſtodia, omiſſis quadringentis nauibus, tribus equitum millibus, infinito peditatu, maximo auri & argẽti pondere, taciturnum quoddã in Academia ſcrutaretur bonum, & in ſpeculationibus Geometricis felicitatem poſſideret: interim Dio veram illam felicitatem regiarum opum eiecto Dionyſio occuparet: hæ aſſentatorum voces in animo Dionyſii iam dudum corrupto præualuere. Æſtimans namque magno præſentis tyrannidis delicias, & cætera, quibus vitioſe fuerat innutritus, ea retinere cupiebat: nec a ſe abſcindi medica manu patiebatur: & pronus erat ad ſuſpiciones contra ſe ſuſcipiendum. Itaque & Dionem expulit, qui illi optime conſultum cupiebat; Platonem contemſit, quem antea fuerat veneratus & diſciplinam omiſit: qua maxime egebat. Tu tamen, Alberte, num exiſtimas, vt ſint extra cauſſam, poſita ſine cauſſa fuiſſe? Alb. Minime ſine cauſſa: nam coniuncta ſunt ſuperioribus, & ea operæpretium fuit cognoſcere.

ſcere. MAR. Ego, Alberte, illas oſtẽtatorum voces ad Dionyſium factas duorum cauſſa retuli: Primum, vt intelligatur, quod nihil æque aſſentatores pugnant, quam ne magnarum & honeſtarum artium doctrina Principes imbuantur. Vident enim in legitimo regno nullas illis partes fore reliquas. An non audiſti huc aſſentatores incubuiſſe omni conatu, ne Dionyſius Platoni daret operam, ſuaſiſſeque philoſophiam regnantibus eſſe contrariam, vt quæ non ſineret eum, qui præceptis illius obtemperaret, ſui iuris eſſe, & cupiditates ſuas regias explere? ALB. Audiui equidem. MAR. Nec tamen a literis omnino abſtrahebant: nam de comœdorum & tragœdorum verſibus magna ſæpe imminebat eis aduerſus Dionyſium cõtentio, vtrum verbum aliquod in carmine recte eſſet poſitum, vel ſententiola quæpiam quadraret, eaque pugna nonnunquam de prima nocte inter vina in lucẽ protrahebatur. ALB. Quid Geometrica, non illum etiam tractare permittebant? MAR. Per-

mittebant, ne in omnibus viderentur cupiditatibus eius contraire, & ipſi quoque eorundem ſtudiorum imitatione ſimulabant ſe teneri. Itaq; quo tempore Dionyſius Geometricis animũ adiecit, nullus ſermo, niſi de circulis, ſemicirculis, triquetris, ſexãgulis, octangulis, & aliis figuris & imaginibus inter eos habebatur: omniſque regia alto puluere obducta erat: vbi ad compotationes & amores tranſiſſet, illa abierunt omnia, & epulæ conuiuiaque celebrabantur. Sed poſtquam de morum mutatione agi cœptum eſt per Dionẽ, Dionyſij propinquum: tum plane inſurrexerunt illi, & aperte contenderunt, ſuadẽtes in eiſdem manendum moribus ſi regnare vellet: verebantur enim ne legitimo ſuſcepto imperio nihil ipſi poſſent. Et hæc prior eſt cauſſa, cur hæc mihi dicẽda exiſtimauerim, vt ſcilicet intelligeretur, aſſentatores id agere, vt ab honeſtis abducat̃ diſciplinis princeps, qui per eas metuunt ſe ab omni Reip. functione repelli. Accipe nunc alteram. Alb. Dic, Mar. Dico alteram

cauſſam

caussam fuisse, vt ista de Dionysio & eius assentatoribus proferrē, quia sub exemplo perspici cupiebam, qua via grassentur assentatores in Principes. Concedis opinor, Alberte, in humano animo duas esse partes, quarum vna rationis est particeps, quæ honesta & iusta assidue ꝓponit, nec quicquam præter ius fasque cogitare aut aggredi hominem sinit: altera pars est rationis penitus expers, ad omnē libidinē, & intemperantiam iniustitiamq; procliuis. ALB. Noui equidē hæc: vna enim pars in homine ratio est, altera appetitus. MAR. Si id nosti, illud quoque nosse debes, vtra earū partiū potior sit, & vbi iubent contraria, cui sit magis parendū. ALB. Quis dubitauerit, quin rationē appetitus sequi, & ei audiēs dicto esse debeat? MAR. Quid si hūc appetitū, quem in altera animi parte collocauimus, & præcipitē cæcumq; ferri in q̄libet dicimus, vtpote rationis expertē, familiariū & domesticorū aliquis foueat, alat, augeat, incendat, adiuuet demū eius conatum consilio, re, opera, nōne robustiorem

reddet & ferociorem, & intolerãtiorem, ita vt rationi recta suadenti resistat, & eius præcepta negligat, nec audire curet? Alb. Prædicas, quod futurum est. Non enim humanus appetitus circumstantium vocibus corroboratus tenebit se, sed longius progredietur, irruet, & infestis veluti signis aduersus rationem cõsistet, eamque quantum poterit, deiiciet atque etiam cõculcabit, donec seipsum expleuerit, & quod turpe concupierit, turpius assequatur. Mar. Quid autem caussæ ponimus, Alberte, cur homines non solum in seipsis, sed in aliis quoque appetitus potius partibus adsint, quam rationis: contra enim fieri oportebat? Alb. Oportebat quidem, si honestatem respicimus, sed respiciunt homines ea magis, quæ in præsens suauia & vtilia sunt, abiecto virtutis decore. Tu huius rei nuper caussam aperuisti, dum dicebas, procliues nos esse ad ea, quæ iucunda sunt sensibus, tanquam ea magis sint obuia magisque nota. Virtutis autem via ardua est & excelsa, aspectu tetra & formidosa,

midosa, nulli ad eam sensus corporis ferunt, imo potius ingredi recusant. Itaq; si quis ad virtutem adhortetur, non minus illi laborandum, quam si aduerso flumine ratem trahat, vel ad superiora graue põdus impellat, hinc etiam fit, vt pauci ad virtutem sint adhortatores, pauciores, qui adhortationem hanc suscipiant. MAR. Recte dicis, Alberte, idque magis elucet in Principibus, quorum appetitum tanquam ferox & indomitũ animal, contra quam feratur, tractare ratione atque versare non est qui audeat, ne iram in se concitet furentis beluæ, & pro honesto consilio pœnas luat: Si quis autem audeat, hunc virum putato. Facilior autem est impulsio ad ea, quæ sensibus lenocinantia Princeps sponte sua appetit, & prima ducit. Sed num eos qui hoc suscipiũt, vt leues & temerarios & iniustos animi motus titillent, foueant, augeant, impellant, lædere an iuuare dicemus? ALB. Lædere profecto, & vehemẽter quidem. MAR. Lædere autem num amicorũ esse putas? ALB. Minime. MAR.

Nō ergo isti amici sunt, qui cupiditates iniustas Principum suscipiunt, easque corroborant, si quidem lædunt? Alb. Non. Mar. Quid ergo erunt? an nō assentatores eos dicemus? Alb. Quidni. Mar. Assentantur enim ei parti animi, quæ imbecillissima est, & in omnia deuia propentissima. Alb. Ita est. Mar. Idque paruo negocio efficiunt: nam facilius est impellere iam commotum, quam commouere languentem, ne dicam obsistentem. Alb. Negat nemo. Mar. Appetitui igitur Principum inani & cęco auxiliantur assentatores sermonib. suis, idque facile est animaduertere. Sed nonne illud quoque animaduertis, ꝙ ab eodem hoc Principum appetitu, cui suffragantur, ipsi vicissim sumunt auxilium potentiæ suæ: nam non æque alios euehunt Principes ad honores & diuitias, quā hos, qui eorum cupiditatibus indulgere norunt. Non enim inueniunt in istorum sermonibus aliquid, ꝙ eos vrat aut mordeat, sed quantum in illis est, secunda pacataque omnia. Fit etiam plerunque, vt

natura

natura faueamus his, qui iisdem sunt moribus. Hinc Neronē legimus honores mãdasse nõnullis ebriosis, non aliud sequutū in eis, quam hoc ipsum, quod ebrietati studerent. ALB. Forsasse credidit Nero magnã virtutem esse bibacitatem, hancque ipse inprimis colebat. MAR. Si id credidit, Græcorum morem suo iudicio comprobauit. Illi namque eum, qui plurimum hauriret meri, valde commendabant, spectatuque dignũ ducebant, quod nimis large fecit Socrates in Platonis conuiuio, vbi compotores omnes tota nocte bibendo superauit: quanquã Demosthenes Philippo regi Macedonũ obtrectans, qui laudatus fuerat, quod plurimũ bibere posset, dixit hanc laudem propriam esse Spongiæ, non hominis. Verum vtut ista penes Græcos se habuerint, Romani nunquam hanc turpitudinē admiserunt, quos penes fœminas temeto abstinere moris erat. Legimus etiã de Bonoso Imperatore, qui cum vini capacissimus esset, & eiectus imperio, seu quod dolorem nõ ferret, seu quod asperio-

ra ab hostibus metueret, laqueo se de arbore suspendisset, dictum fuisse in eum iocularitér a prætereuntibus, lagenam vini pendere, non hominem. Sed bibacitatem omittamus. Quid si Princeps iniustus fuerit, rapax, crudelis, nonne iisdem virtutibus præditos ciuitatibus & prouinciis, quas sub se habet, præficiet? Et quanta tunc pernicies populis impendet? Hoc idem indicat Nero, qui cũ suis prouinciam dabat, cum his mandatis a se dimittebat, vt omnia raperent, auferrent, nec cuiquam quicquam relinquerẽt, quoniam paupertati suæ subueniendum esset. Ergo magna sunt in potẽtia assentatores penes iniquos Principes: his omnia committũtur, per hos geruntur: Imo audeo dicere hos esse supra ipsos Principes: nam horum dictis, inuentis, cogitatis obtemperant. Quid frontem contrahis, Alberte? Principes, inquam, cupiditatibus suis iam antea captos & deuinctos assentatores trahunt quacunque lubet, nec intelligũt illi se turpissimis seruire hominibus, tum maxime, cum se cun-

ctorum

ctorum putant dominari. Sed de his dictum sit satis. ALB. Satis, si ita videtur. MAR. Possumus tamen adhuc addere aliqua finitima iã dictis. ALB. Quæ nam ea? MAR. Dicam, postquam Platonis & Dionysij allata est mentio, quorum alter ætatis eiusdem Philosophorum omnium sapientissimus fuit: alter Tyrannorum potentissimus. Si sapientia & potētia in idem non veniant, sicut fieri debere assero: sed separatim agant, quemadmodum in Platone & Dionysio egerũt, & horum alterutrum possidere tantum liceat: quid horum duorum quis sibi magis optauerit? Potentiamne an sapientiam? Vtraque omnino magnifacienda. Itaque magni vel maximi potius fuere, quibus contigit ambas possidere, sed paucis contigit: coniunctas raro videre secula: disiunctæ facilius reperiuntur. Quomodo autem haberi possint, non est nunc dicendi locus. Illud certissimum est, voto frustra peti. Sed quid fiet, si ab Omnipotente Deo libera detur optio, vtramuis sumendi (liceat sic fingere) quam dua-

rum magis quis deligat? & vt planius adhuc loquar, non discedens a personis, quas modo proposui; interrogo, vtrum Platonis malit, quis se esse similem, an Dionysij? Tu, Alberte, tali optione proposita, vtrum duorũ magis deligeres? Alb. Recte me & ordine interrogas Marce. Non est nunc (vt opinor) de religione quærẽdum: nam si hanc respicimus, neutrius optauerim conditionem. Mar. Non agitur nunc (vt ais) de religione, nec illud venit in disceptationem, quam sibi fortunam quisq; magis optauerit, Christiani an infidelis; quis enim negauerit, Christiani hominis vitam quibuslibet alterius fortunis præferendam? Sed infidelem infideli comparamus. Remotis igit' religionis iuribus, quæro de te, si temporib. illis natus esses, & inter nationes eas degere contigisset, quæ Christum ignorabant, vtrũ malles te Platonis, an Dionysij similem. Alb. Recte (vt dixi) me interrogas. Ego magis facerem Platonẽ cum studio illo atq; doctrina, nõ modo quam istum vnius insulæ dominum, sed alium

lium quemuis maria omnia ac terras regentem. Sed memento hanc interrogationem non esse passim, & ad omnes faciendam. Plures enim supellectilem magis Dionysij argentumq; cœlatum æstimarent, quam totum Philosophum, qui Academiæ spaciis inclusus vix famem frigusq; pellebat. MAR. Licet tamen, quid ageret vterque speculari, & ex eo perpendere, vtrius vita, nobilior, elegantior, vtilior, iucundior, suauior, & deinceps iudicare, quã quis potius sanæ mentis homo optauerit sibi, & optione data deligeret. Alter in epulis, vino, lustris, ganeis, cædibus, rapinis, assidue versabatur, metuens Tyrannidi, ne quid pateretur, viuebat cum fugitiuis, cum barbaris, cum facinorosis: neminem qui libertate dignus esset, amicum sibi arbitrabatur. Alterius vero mens indagandis, perspiciendisque rebus cum earum caussis & rationibus indies alebatur, satagẽs videre cœlestia terrestriaque omnia, vnde inciperent, quomodo progrederentur, in quæ desinerent, & inter hæc naturæ

ſtia
ipe-

omnis conditorem perſpiciēs Deum, omnibus inſidentem, & ſupra omnia ſtantem, cunctaque mortalia & immortalia nutu regētem & moderantem. Ad hæc maximo & intentiſſimo ſtudio homines ad decus, ad virtutē, ad honeſtatem hortabatur. Quam multa ille de iuſtitia, temperātia, fragilitate, fortitudine, pietate, religione dixit? Nec dixit modo, ſed etiam ſcripſit, nec ſcripſit tantum, ſed etiam edidit ad totius poſteritatis fructum? Huius vitam, qui non optabilem eſſe dicit, & Tyrannicam illi præfert: hic vanis corruptus bonis, guſtum veræ laudis veræq; ſuauitatis amiſit. Alb. Eſt ita profecto, nec aliter iudicaretur, ſi teſtimonio meo & fratris tui ſtaretur. Mar. Non conquiro nunc teſtimonia, ſed rem ipſam expēdo. Perſpicuū eſt enim, ſi a Deo cuiquam detur optio ſapientiæ vel potentiæ, ſapientiam magis eligendam, quam potentiam. Nam ſapientia ſine potētia, etſi multitudini ꝓdeſſe nequeat, cui coercendæ & moderandæ potentia eſt opus, prodeſt tamen & ipſi ſapienti, &

ti,& alii cuicunq;, qui eius vocem audire voluerit. Potentia vero ſine ſapientia non modo inutilis eſt, ſed etiam pernitioſa: nec ipſi modo pernitioſa, qui eam habet, ſed ciuibus & populis vniuerſis, qui ſub ea degũt. Quis præterea mentis compos dubitauerit bona: quæ propria ſunt hominis, præferre iis, quæ circa hominem ſunt? At ſapientia animo infixa proprium hominis bonum: nam hac redditur homo melior, non imperio & potentia, quæ extrinſecus obueniunt, & nihil ad eum pertinent, niſi cura & adminiſtratione. Quamobrem Platonem dicimus Dionyſio anteponendum, ad quem ille acceſſit, non vt ſeruiret, ſed vt ſeruaret, quod etiam præſtitiſſet, niſi Dionyſius maiorem cupiditatum ſuarum rationem, quam ſalutis, habuiſſet. Quid de Pythagora, Democrito, Socrate, Zenone, & plurimis aliis præſtantibus Philoſophis dicam? qui non ſolum naturalium rerum rationes inſpexerunt, ſed multos etiam ad rectius viuendum excitauerunt, & leges populis ſcripſerunt, & rebus et-

iam publicis vtiles fuerũt. Quę regna, quæ opes possunt eorum studiis & cogitationibus anteferri? At non modo istos viros, quorum doctrina fuit peregregia & singularis, sed, vt ad leuiora veniam, Homerum eiusdem tempestatis regibus præfero. Illi nihil habebant, quo magis nobilitarent Poetam. Alter suum & multorum nomen in æternitatẽ pene versibus suis propagauit. Eadẽ de Thucydide, Herodoto, Salustio, Liuio, reliquisq; historiarum scriptoribus dici possunt: effectum est enim horũ cura & diligentia, ne superiorum temporum gesta laterent, & vt exempla multa ad res commodius gerendas veluti ante oculos depicta haberemus. Veniamus ad nostros, ne externis contenti, domestica negligere videamur. Alb. Sic quidẽ faciendum censeo: illo enim addito, quod maiori voluptate te de nostris loquẽtem, quã de Romanis Græcisq; audiem⁹. Mar. Atqui, Alberte, Hieronymum, Augustinum, Cyprianum Basilium, Chrysostomũ, Gregorium, Bernardum, Leonẽ, & reliquos eius-

dem

dem generis ecclesiasticos doctores, qui non solũ eloquẽtia doctrinæq; opib. locupletari, verum etiã pietate in Deũ, & vitæ sanctitate insignes fuerũt, pudet cũ sceptra tenentib. qui deterius vixerunt, conferre. At Eusebius Cæsariensis, qui ecclesiasticam texuit historiam, & qui pro Euangelio multa aduersus gentes conscripsit: Lactãtius quoque Firmianus, Cõstantii Cæsaris Præceptor, qui eodẽ calore idem argumentum tractauit, sed vberiore fluxu dicendi, quam clari sunt? quam omnibus in ore? quantum vtilitatis inuectum in posteritatẽ horum studio videmus? Et quid agi per eos splendidius potuit & fructuosius, quam cum religionis nostræ iura aduersus idolorum cultores defenderẽt & comprobarẽt? Possum addere Tertullianum, qui multa conscripsit ad religionem nostram pertinentia, tum vero Apologeticum egregium aduersus gentes, quo nihil subtilius & acutius excogitari potest. Non omitto Petrum Scholasticæ scriptorem historiæ, qui tanquam hauriret omnia, & magnæ

esset gulæ in literis, Comestoris nomen adeptus est, multa digessit iste, protulit non mediocrem Dei Ecclesiæ fructum ferentia. BAPT. Quin tu potius nobis alterius Petri Theologorum maximi mentionẽ facis? Nam hunc in hoc sermone præteritũ non oportuit. MAR. Minime oportuit, & recte tu mihi huius memoriam suggessisti. Istius namque in immensum nobilitati labores, qui sanctorum dictis colligendis certissima Theologiæ iecit fundamenta, ex quo Sententiarum Magister vulgo nuncupatur, perinde ac si rem sibi sumsisset, verba ceteris reliquisset. Hic Theologorum pater nisi fuisset, Christianæ fidei disciplina quodãmodo erraret: sed per hunc collecta, & in ordinẽ quendam redacta fuit. Ita deinceps consequuti ingeniosissimi multi, qui eisdẽ in vestigiis cõsistentes, libris omnia referserunt. Nostis hos nouitios Theologos, quos nonnulli Scholasticos, alij Parisienses vocant. Hi assidue sententias Petri commentantur, & morem quendã suum probandi tenent, omissa omni

ſa omni verborum pompa:inter quos diuus Thomas Aquinas emicat, velut inter ignes Luna minores. Quis omnium iſtorum in Rempub. Chriſtianam merita poſſit dicendo æquare? Certe meriti ſunt amplius, quam vlli reges, qui corpora, vrbes, agros de hoſtibus captos Chriſtiano nomini adiicere potuerunt. Iſti vero mentes hominum in fidei poteſtate tenuerunt: quas a fœdiſſimis erroribus liberauerunt, & ad æternæ ſalutis iter docendo verterunt. Hæc perſequutus ſum, vt intelligentes noſtri Principes literarum ſtudia diuitiis quibuſcunq; & imperiis anteponi, deponant aliquãdo ſupercilium, nec intumeſcant ob potentiam, ſed remoto ſcientiæ bono, multis ſe inferiores arbitretur. Qua de re probo Ariſtotelem, qui ad Alexandrum quandoq; ſcripſit, non iis tantum eſſe gloriandum, qui imperio abundant: ſed iis quoq;, qui Deorum immortalium naturam, vim, poteſtatemq; cognouerũt. ALB. Itane vero ad Alexandrum ille ſcripſit? MAR. Scripſit, ſi Plutarcho Chero-

nen ſi creditur: nã eo auctore id profero, nõ quod in epiſtolis Ariſtotelis, quæ nunc exſtant, inuenerim. Quid autem deſiderem in iſtis principibus, iamdudum perſpicuum eſt. Volo autem ipſos ad hæc fortunæ munera minoris exiſtimationis mai⁹ illud & vberius ſcientiæ bonum adiungere: quod cum priuatos ornet & reddat glorioſos, quanto vberiori laude & gloria locupletabit Principes? Multum valet ſcientia literarum abſque principatu: principatus autem quid ſine tali ſcientia poſſit efficere, haud facile dixerim: quin ſi dicendum eſt, quod ſentio, tantum abeſt, vt proſit, vt potius noceat habenti. Viſne, Alberte, vt dicam, cur nociturum putem, ſimilitudinemq; adiungam? Alb. Volo equidem: nam etſi iam multa ſint dicta, hoc etiam confirmabit ſuperiora. Mar. Ego vbi rudem & imperitum video Principẽ, regendæ ciuitati aut prouincię præpoſitum, huc ſtatim adducor, vt credã hoc ei perniciem illaturũ: nã non ad multitudinis (vt oporteret) commodum volet vti principatu: mul-

tū: multas calamitates & iniurias ciuibus inferet: & aliorum detrimentis potentiam exercebit, seq́ue nequissimum nocentissimumq; præbebit, infinitisque criminibus fœdabit. Idque vt similitudine quadam (sicut pollicitus sum) illustrem: Si videat quispiam nauē necessariis rebus instructā, & ad cursum paratam: præsit autem ei rudis & imperitus gubernator, dubitauit ne quid euenturum sit, præsertim si longius sit nauigandum? Quid dicet vir prudens, qui hæc videat? Te interrogo, Alberte. ALB. Perdet (inquiet) iste omnia, væ sibi, væ nauigantibus! non euadēt. MAR. Quid Principem videns insipientem, cui summa sit licentia quicquid velit, agendi, cuius libidini pateant omnia: iste idem vir prudens quid dicet? quorsum opinionē suam diriget? Nōne asseuerabit, ꝙ iste & se & suos & reliqua corrūpet omnia regēdi inscitia? ALB. Clamet ita necesse est, cōsequētia rerū adductus. MAR. Audi quæso reliqua. Habebit princeps iste ob diuitiarū & opū copiā circū se multos: hoc enim fit. Quid

igitur isti tam multi num aduersus vnum principem consistere audebunt? & eius incusare dementiam, quod male & turpiter administret imperium? vel num potius eius incendent dementiam? conclamantes ipsum recte omnia agere, non tanquam ab hominib. prognatũ, sed de cœlo lapsum, & ad hominum salutẽ diuinitus missum. ALB. Si id, q̃ quotidiani ferunt mores, inspicimus, collaudabũt, & miris efferent laudib⁹ Principẽ, quamuis fœdissime se habeat. MAR. Possem multis exemplis ostendere, neminem audere diuersa a rege sentire in consiliis capiendis, etiam cum de perspicua ipsius Regis vtilitate appareat: Vno vtar, quod de Perseo Macedonum rege traditum est. Is quum bello Romano plurimis iã detrimentis acceptis in extremũ pene discrimẽ adduct⁹ esset, Gallorũ ad se aduocauit decem millia equitum, totidem peditum, hominum fortissimorum, stipendia facere consuetorum, qui tum forte per Illyricum effusi erant: pactusque est in singulos pedites quinos aureos, & in equi-

in equites denos, mille in eorum duces: & iam Galli aliquot dierum viam progreſſi, eo peruenerant, vbi pecuniam numerari oportebat, mercedemque pactam flagitabant. Tum Perſeus conſilium aduocat, rem proponit: ſed cum primus allatis certis cauſſis oſtēdiſſet, Gallorum auxilia ſibi dimitti placere, contradixit eorum qui aderant nemo, vt auctor eſt Liuius: Nemo in tanto diſcrimine auſus eſt ſtultum regis conſilium improbare: cum tamen omnes idem ſentirent, meliorem eſſe regni cuſtodiā, quam pecuniæ, quæ vtique non ſeruaretur: Nam ſi Gallis non diſtribueretur, ea Romanos victores ſequeretur. Verum cum perſpicerent omnes Regis auaritiam, qui tantæ multitudinis mercedem metueret potius, quam hoſtes Romanos, ſilentium tenuerunt: nec voluit quiſquam obſtrepere palā Regis dementiæ: occulte tamen mordebatur, tanquam id ageret, vt bene diues cum omni regia gaza in triumpho portaretur. Vides iam regi, Alberte, parum eſſe auxilii in conſultoribus,

nisi se prius ad bonos componat mores, doctrinaq; omni diuina & humana imbuatur. Vbi enim in malis moribus cupiditatem alicubi ostenderit, eodem cuncti sequentur: non enim prius Regis, sed suum considerant discrimen, si contradixerint. Sed num potes dicere mihi, Alberte, quid nunc mihi venerit in mentem? ALB. Possum vbi dixeris. MAR. Sic cogito. Erit fortasse in magna turba hominum aulæ inseruientium, & Principi adulantium, vnus aliquis vir fortis, seuerus, & sapiens, qui miseratus animo Principis imbecillitatem, conetur illum ad sanitatem mentis reuocare: horteturque vt disciplinis omnibusq; rectis artibus seipsum instituat: quo par tanto sit muneri, sicut olim Dionysiũ Dio, propinquum propinquus. Quid futurum putas? ALB. Scio quod nihil proficiet, sicut nec in Dionysio Dio quicquam profecit. MAR. Honorabunt forsitan hunc virum cæteri talia suadentem: culpamq; omnem transferent in principem, qui honestis monitis nõ moueatur. ALB. Honorabunt?

norabunt? Imo auersabũtur eum plures, magna pars illudet, & hominem nihil sapere arbirtabitur. MAR. Quid dicent? nam afferant aliquid necesse est? An non illud in promtu, nihil opus esse tot literis, sed posse Principẽ hac prudentiæ luce vtentem rectissime habenas imperii moderari? ALB. Hęc omnino istorũ est oratio. MAR. Quin addis insulsam hanc esse & absurdam orationem. ALB. Non addo, quoniam id iam perspicuum est, & ex superioribus sermonibus patet. MAR. Visne de hoc etiam aliquid rursus dicamus, ne frustra hic redierit sermo? ALB. Aueo audire: nam eandem rem variis tractare argumentis oratorium est maxime. MAR. Nolunt isti (vt vides) Principem altius euehi: nec sublime aliquid speculari: existimantes nihil illorum cognitionom facere ad Principatum. Sed recordare quæso illius similitudinis, quam ante proposui, de rudi & imperito nauis gubernatore: nam si huius inscitiã perspiciens aliquis hortetur, vt antequam clauo manus inii-

ciat curet aliquam nauticarū rerum ſcientiam percipere, ſiderum motus, terrarum tractus, ventorum vim, aduerſarum ſigna tempeſtatum tenere. Remiges autem & nautæ homini adulantes contendant ſuperuacuam eſſe hanc diſcendi curam; poſſe illum humanæ prudentiæ viribus abſque alio vſu & ſcientia nauem medios inter fluctus rectam præſtare, & ad deſtinati litoris oras prouehere: nonne iſti tunc ſtolida ſapere & dicere videbuntur? Neminem mihi dabis tã emotæ mentis, qui illa audiens non ſtatim exclamet: O attoniti. Itane vero talia proferre & ſuadere audetis? Nō abſurdiora minus iſti loquuntur ad Principes, quos nihil intelligentes, nimis etiam intelligere arbitrantur. Auerſantur iſti, Principem eſſe, atque adeo haberi Philoſophum. Quid diuinarum (inquiunt) & cæterarum rerum cognitioni, quas philoſophia affert, cū principatu? quibus & ego dico: Quid ſideribus cum mari? vel quid etiam cum terra? nam non minus agricolæ, quã nautæ ſeruanda ſunt ſidera: quod

qui

qui ignorat, admoneri poteſt carminibus illis ſummi Poetæ, dum de agricolis verba faciens, inquit.

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hædorumque dies ſeruandi, & lucidus anguis.
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Credo equidem, quod ſi rudis homo videat nautam vel agricolã ſuſpicientem in cœlum, oculoſq; ſub aſtra tenentem (vt cecinit idem Poeta de Palinuro) dum illorum ortum occaſumque ſpeculatur, rideat quantum poſſit, & inſanũ vocet vtrunq; : quod cum vni res ſit cum mari, alteri cum terra, cœlum ſupinus ſpectet, tãquam illic nauigandum ſit potius vel ſerendum. Sed huius ineptum riſum contemnant illi, & hominem breuiſſimo frangent ſermone. Dicent enim: Latet te, o homo, quiſquis es, cõiunctio rerum diſtantibus in locis poſitarum, hanc diſcere cura, & vbi didiceris, te tui ipſius, & intempeſtiui huius riſus pudebit. Hæc illi. Eadem iſtorum ratio, qui ſi viderint Principẽ inquiren-

tem aliquid de Dei potentia, sapientia, caritate; de animorum, Dæmonum, elementorum statu; deque aliis mutabilib⁹, quæ immutabilis ille condidit, qualis nuper Picus Mirandulanus fuit: superuacuæ rei operam impendere existimant & vix mentis credunt compotem: quoniam hæc vana & inutilia in alto defixa, & tam longe posita suspiciunt, & scrutantur, idq; arbitrantur ad Principē non pertinere, sicut nec rudis ille vir existimat sidera gubernatori nauis esse inspectanda; sed facilius quis medios inter fluctus nauem sine siderum inspectione, quam sine multa diuinarum humanarumque rerum cognitione, principatum poterit gubernare. Ingredior adhuc magis introrsus & scire ab istis peruelim, vtrum artem regēdi populos facilem putēt, an difficilem? Si facilem, vnde tot in ciuitatibus insidiæ, stupra, furta, rapinę, cædes, vulnera? Cur princeps non prohibet? Cur vel horum plurima eius iussu fiunt? Si difficilem, cur retrahunt Principes a disciplinis, per quas facultas melius aliquid

aliquid gerendi parat? Magna & multa sunt munia Principis: inter quæ haud scio, an illud præcipuum: ne ciues diuitiis luxurient, aut paupertate onerentur: propterea quod nimiæ diuitiæ reddunt superbos, feroces, arrogantes, violētos, cupidos dominādi, voluptatibus etiā & luxu indulgentes. Hæc efficiunt diuitiæ. Quid paupertas horum contraria? Nam viles facit, timidos, abiectos, assentatores, seruiles, fures quoq; & raptores: demum pecuniæ gratia, quiduis facere & pati paratos. His vitijs occurrere oportet Principem, quod assequetur, si ciues mediocres erunt moribus, quod erunt, si fuerint facultatibus. Quæro de te nunc, Alberte, num quenquam Principem vides hæc curare? ALB. Quid videam, quod nusquam est? & quomodo curabunt illi, quod ne per somnium quidem venit in mentem optare? MAR. Inscitia igitur prætermittunt, quod eos oportebat: nam id nescire, haud magnum est. Magnum autem id videre: maius conari, vt efficiatur: maximum re ipsa

efficere. Quis nunc præterea Principum eo incumbit, vt populi, quos sub se habet, sint manu strenui, ob assiduam armorum tractationem & bellicarum rerum meditationē, iidemq; quieti atque pacati sint ob religionis studium? Quæ sane societas fortitudinis cū modestia, vt præclarissima est, ita & difficilima. Difficilimum enim factu est, vt ęqualitatis iura seruare velit, & legitima disceptatione vinci se patiatur, qui magnitudine animi excellit, quod effici tamen in populis etiam potest, si quis regere sciat. Græci gymnasticæ Musicam admiscebant, vt vnius disciplinæ ferociam alterius dulcedine delinirent, atque ita animos iuuenum ad temperatum statum deducerent, inter mollitiē feritatemque medios. Mihi satius videtur asperitatem morum, quam armorum assidua tractatio ingenerare potest, religionis cura compescere, & veluti māsuefacere, quod Numa Pompilius Secundus Romæ Rex pręstitit: qui cum populum Romanum ferociētem nimis atque intumescentem frequenti-

bus

bus bellis, quæ ſub Romulo fauſte geſſerat, ſuſcepiſſet, ſacrificiis cultuque Deorum immortalium inducto mitigauit, & ad mediocrem habitũ conuertit.

Namq; aliquis modo trux viſa iam vertitur ara,
Vinaq; dat tepidis ſalſaq; fata necis:

Vt Pelignus cecinit Poeta. Nunc nulla opus eſt Muſica aut religione, vt per eas populi manſueſcant. Quid ita? quia quidam Principes populos imbelles eſſe cupiunt, quibus etiam arma detrahunt: alij nullã impendunt operam, vt bellicoſi reddantur. Itaq; vbi bellum impendet, neceſſeque eſt patriam & imperij fines armis tutari, externo vtuntur milite: egentes vndique homines & facinoroſos mercede cogunt: qui non tanquam ad bellum cum hoſtibus gerendum fuerint vocati, ſed ad diripiendas ſociorum atq; amicorũ fortunas, ita omnia vaſtant, trahunt, lacerant, corrumpunt. An non ita hodie, Alberte, fit? ALB. Fit ſane. Copias licet nũc cernere in bellis non militares, ſed prædatorias.

Quam-

Quamobrem definiuit, nescio quis bellum, vt diceret, nihil aliud esse bellum, quam vim, quæ infertur coactis hominibus ad rapiẽdum, latrocinandumque paratis: vel breuius; bellum esse congregationem prauorum hominum rapientium vndique & prædantium. MAR. Non insulsa profecto definitio, & videtur ille, quisquis fuit, ad definitiones fuisse ingeniosus. Licet omnino de hodiernis conqueri bellis, in quibus omnia militantib. concedũtur. Vetus illa & antiqua militia nocens hostibus, innocens amicis recessit. Sed de his nunc non agitur, redeamus ad priora. ALB. Equidem censeo, si quidem adhuc restat, quod dicatur.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber quintus.

MARCVS.

OMnes artes, Alberte, principatui subiiciuntur, nõ modo hæ honoratissi-

ratissimæ, quales sunt, militaris, iudiciaria, rhetorica, sed etiã quælibet leuiores, & quæ inferioris sunt ordinis, veluti agricultura, architectonica & cerdonica, sutoria, & reliqua: nam ad principẽ spectat statuere, quas artes in ciuitate, & quales esse deceat: & quid quẽq; addiscere, & quousq; oporteat. Non igitur fieri potest, quin principatus sit ars maxima, siquidem eius est de reliquis artib. decernere ad communem vtilitatem, tanquam earum omnium sit præses. Nulla hodie horum meditatio penes Principes nostros: est tamẽ aliorum quorundam, de quibus piget dicere. ALB. Imo dicendũ est tibi: video .n. de vitiis Principum te velle aliqua proferre. MAR. Vellem, sed tamen (vt dixi) tædet: non enim iucunda est de talib. oratio. Veruntamẽ si dicendũ est de Principum vitiis, nolo intelligi illa de omnib. dici Principibus, sed de his tãtum, qui illis obnoxij sunt criminibus, quos ego plures esse sentio. Videmus namq; in Principum aulis præfecturas ꝓuinciarum, Senatoriã dignitatẽ, ꝓcuratio-

nes, magiſtratus, omnia eſſe venalia: ſcelus quodlibet pecunia redimi: in cubiculis luxũ, in iudiciis aurum dominari, cõtrouerſias priuatorum tardiſſime terminari (ſi tamẽ terminantur) & magnis iacturis litigatorũ, adeo vt expediat ſæpius litem deſeruiſſe, quam illo modo viciſſe: bella insuper (quod ſine lacrymis dici vix poteſt) non neceſſaria & pernicioſa ſuſcipi cupiditate dominandi, qua de re populi collatione æris affliguntur, vrbes diripiuntur, agri vaſtantur, homines in ſeruitutem abducuntur, neque liberantur, niſi idoneum erogauerint argentum. Hæc & his peiora fiũt, quæ vbi contingunt, neceſſe eſt inſcitia regentium contingere: ſicuti cum domus male gubernatur, quilibet id ſentiens inertẽ patremfamilias ea in domo habitare exiſtimaret. BAP. His, quæ a te hactenus dicta ſunt, Marce, vehementer aſſentior, atque ita iudico & ſtatuo, Principem multarum rerum peritum & ſcientem eſſe oportere, ob magnitudinem eorum, quę tractanda principatui & gubernãda cõmittun-

mittuntur. Capit autem quandoque admiratio eorum, qui contrariam induerunt ſententiam. Videas peritiam deligi vndique & laudari: imperitiam culpari. Nemo eſt, qui, ſi militandum ſit, non ſequi malit armis captis peritum belli ducem, quam imperitum: hoc enim tutius & ſecurius exiſtimatur. Si fabricandũ eſt aliquid e ligno, vel ex ære, vel e marmore, quæritur peritus faber, imperitus dimittitur. Similiter ſi aliquid operis in agro faciendum eſt, ille multo rerum ruſticarum vſu callidus agricola adhibetur, huic recte committi putatur. Deniq; medicum, rhetorem, pictorem, ſtatuarium, tonſorem, ſutorem, cerdonem, adhibent ſibi & ſuis homines eum, quem peritum exiſtimant: nullum horum probant, niſi in artificio ſuo probum. Vnum Principem iſti negligunt eſſe artificem in ſuo munere, quem ne medium quidem artificem, ſed ſummũ eſſe oportebat. Nam lapſus priuatis in rebus ad paucos pertinet, læduntur ij duntaxat, quorum eſt negotium, & ſecunda ciuitatis for-

tunæ priuatorũ sæpe subleuat incommoda: res vero publica, vbi male geritur & administratur, priuatorum etiam beatitudines in perniciem secum simul trahit. Ergo Princeps vndecunque scientiam recte administrandi Remp. colligere debet, siue legendo, siue audiẽdo, siue alio quocunq; modo pariatur, quandoquidẽ ab eo vno non vniuersorum modo, sed singulorũ quoq; status pendet: recte an secus se habeat. Stultitiam autem eorũ, qui contraria sentiunt, satis mirari non possum. Mar. Stultitia omnino est illa opinatio, vt dicis Baptista: cuius caussa si quæratur, illa est, quod penes eos principatus non est cuiusdam artificii nomen, sed honoris & dignitatis, ꝗ ex eo forsitan sibi suadẽt, quod Principatum vident veluti hereditarium quiddam successione & necessitudine deferri, & nasci Principes, non fieri. Bap. Ego vero non mediocre, sed maxime esse omnium artificium arbitror, recte imperio vti, testem habens idoneũ Octauianum Cæsarem, qui mirari se dicebat, quod Alexãder

Magnus

Magnus parto in multas nationes imperio adhuc alias quæreret, quas debellaret. Nam si magnitudo rei & difficultas illũ excitaret, maius fuisse opus disponere recte, q; habebat, quam acquirere, quod non habebat. MAR. O præclaram vocem summo illo Imperatore dignã, qua ostendit non tam spectandum, quã late, sed quam iuste Princeps imperet. Hoc enim iudicio cõtingit, in altero casus dominat᷑. Veteres certe Romani de bellorũ principio magis, q; iusta suscepta essent, quã de exitu, q; feliciter euenissent, gloriabantur. Sunt nonnulli alii, qui hoc vel solũ, vel pręcipuũ putant esse Principis munus, posse exercitũ ducere, & collatis signis copias hostiũ profligare: id si habeat, quouis imperio dignũ arbitrantur, cum tamen in Principe nihil splendidus fulgeat, quam iustitia, cui (vt ait Aristoteles) stellarum splendor, nec matutinus, nec vespertinus possit cõparari. Hoc sane indicant Virgiliani illi versus. Nam nondum comparẽte Ænea in naufragio, Troianis de eius morte dubitantibus

dictum est ad Didoné a maximo Ilioneo oratore Troianorum:

Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Videtis, vt in Regis laudibus prius iustitiam collocet & pietatem, antequam vllum inferat sermonem belli & armorum. Ipse Æneas commendat seipsum a pietate:

Sum pius Æneas, &c —— omittens quantum in bello possit, poterat autem (vt nostis) multum. Rei igitur militaris scientia, etsi deceat Principem (nam per hanc sæpe seruatur imperium, & vsus eius late patet) tamen obscuratur splendore iustitiæ, quæ vt virtutum omnium est Princeps, ita & princeps esse debet in Principe. Si tamen militia in honore collocanda est summo, ita vt nulli artium sui dignitate & vtilitate concedere debeat, quotusquisq; rei militari studet? De Principibus loquar. Venditant se Principes penes populos, nō tam animi virtutibus, quam aliis quibusdam externis. Sed forsitan sermoni huic nostro finis imponendus. Nam de Principum

pum doctrina, de qua proposita est quæstio, multa hactenus dicta sunt, & alia quædam prioribus adiicere, vereor ne sit tædiosum. Itaque statuo cessandũ. ALB. Minime cessandum. nam adhuc altus est dies: Solem vides: non ad occasum pcipitat. MAR. Quid si alia in proposita quæstione non occurrunt? ALB. Scio quod occurrent, vel si nihil aliud occurret, potes saltem de his externis dicere, quibus ais Principes se populis venditare, vt etiam varietatem quandam non ingratam sermo hic noster assequatur. MAR. At quæcunque de his externis dici possunt, notissima sunt, & vobis, & omnibus. ALB. Nihilominus dicendum est tibi: nam dulce est colloquium inter amicos, etiam cum ea memorantur, q̃ ipsi tenent. MAR. Externa hæc, quæ me nominatim appellare iubes, nemo non nouit: sunt enim ludi, spectacula, certamina naualia & terrestria, congiaria, munera, saltationes, fabulæ, histriones, & his similia. Reuolue animo historias, Alberte, quæ lectitasti: reperies his &

talibus Principes deliniuisse animos popularium, & eorum sibi gratiam conciliare conatos. Alb. Leuia hæc sunt quidẽ. Mar. At leuius istis ducitur multitudo, demulcent hæc sensus, & momentanea hæc voluptas penes imperitam plebeculam magni est momenti. Sunt etiam externa illa, quæ vulgus miratur, & veretur, sceptrũ, purpura, diadema, magnificentia ædium regiarum, satellitium, equitatus, aurum, argentũ, gemmæ, lauta & copiosa supellex, multus magnusq; amicorum comitatus, præcedẽtium, subsequentium, lateraq; tegẽtium, & plura alia, quib. illi vulgo beati existimantur. Alb. Quid tu hæc, Marce, vituperas? quib. populi spõte munierũt principatũ? Nam florente etiam Romana Repub. & adhuc vigente libertate, nosti consules & prætores prætextam sumsisse togã, & sella curuli vectos, præmissis lictoribus cũ fascib. & securibus, quæ sane insignia magistratuum ab Etrusciis prius vsurpata, Romam deinceps translata fuere. Athenis etiam, quæ vna omniũ ciuitas maxime

xime fuit libera, eos qui cœperãt magiſtratum, coronas geſtare ſolitos accepimus, & ſane conuenit eos, quibus maxime poteſtates creditæ ſunt, primarumq; rerũ tradita adminiſtratio, habere circum ſe aliquid, quod reuerentiam illis in vulgus præbeat & auctoritatem. MAR. Nõ ego, Alberte, his imperij inſignib. Principes denudo, aut his ornari moleſte fero: ſed illud coarguo, ꝙ putant nõnulli in iſtis externis Principatum conſiſtere, ſatis eos eſſe & videri Principes æſtimant, qui quamplurimis fortunæ bonis abundent: non intelligẽtes, eos vere eſſe Principes, qui recte fungũtur Principatus munere, quod ſane munus non progenitorum, non fortunæ beneficio defertur, ſed ſtudio, cura, induſtria, diligentia comparatur. Volo ergo Principem illis imperij inſignibus munitum & ornatum videre, modo illa potiora ducat, iuſtitiam, fidem, pietatem, religionem, continentiam, temperantiã, & mentis fortitudinem, hiſque habendis & tuẽdis inuigilet, paternamq; de omnib. po-

testati suæ creditis concipiat curam. Alb. Amplecteris igitur insignia illa imperij in Principe. Mar. Sicut audiuisti, sed videndum est quoque, vt in his adsit modus, vt omnis arrogantiæ vitetur suspicio. Illa enim insignia, quæ memoras, fuisse in consulib. Prætoribusque Romanis, satis moderata esse duco. Nemo enim plus duodecim lictoribus est vsus, togaq; illa prætexta, & sella curulis pro amplitudine magistrat⁹ satis illos honestabat. Maxima autem insolentia C. Caligulæ videri potest, qui sæpius processit in publicum cum aurea barba, fulmen tenens, aut fuscinam, aut caduceum, Deorũ insignia. Idem templum nomini suo instituerat, in quo per primores vrbis aureo eius simulacro delectissimis hostiis sacra fiebant. Huic vita & moribus haud dissimilis Commodus, qui Herculis prædicans se filium Leonis pelle tectus & clauã gestans incedebat. Alb. Ridicula hæc credo populo Romano visa fuisse. Mar. Ridicula omnino, nisi quod hæc ridicularia cædes, rapinæ, infinitæ in

tæ in Deos hominesq; iniuriæ sequebantur. Illud enim Poeticum ante oculos est habendũ: hæ nugæ seria ducent. Multum Romanæ visus est detraxisse libertati Diocletianus, cũ ab adeuntibus adorari se iussisset. Nam superiores Imperatores tantum salutabantur. Multa etiam faciunt Principes ostentandæ potentiæ suæ caussa: veluti Crœsus Lydorum rex, qui Soloni Atheniensi regios aperuit thesauros, & quæsiuit, ecquis mortalium ipso esset beatior? nec tamen responsum, quale optabat, recepit. Cæsar dictator Romanarum iam rerum potitus (vt Seneca in 2. libr. de beneficiis scriptum reliquit) cum Pompeio Pœno, qui bellis ciuilibus contraria arma induerat, ignouisset, agenti gratias porrexit ad osculãdum sinistrum pedem, & sunt, qui dicant excusantes (vt idem Seneca refert) non insolentiæ caussa id factum, sed socculum auratum, imo aureum margaritis distinctum ostendere voluisse. Et ne de socculis aureis mirum videatur, iam antea Demetrius Macedonũ Rex hoc

more erat vsus. Nam is (quemadmodum apud Plutarchum est) nō solum diadema gestare, vestib. auro purpuraq; contextis vti, sed auratis quoque calceis pedes ornare solebat. Diocletianus quoq;, de cuius superbia paulo ante diximus, vestibus & calciamētis gemmas addidisse fertur nouo more: nam insigne imperii non aliud erat, quam purpureū indumentum. Imponunt sibi etiam gloriosa nomina: Demetrius Antigoni Macedonū Regis filius, & patris in regno successor Poliorcætes, id est, vrbium expugnator nuncupari voluit: Ptolemæus vnus ex Ægyptiis Regibus Euergetes, id est, beneficus: & si Plutarcho credimus, nonnulli reges *Fulmineos*, se inscribebant, quasi via sua perfringere omnia possent. Alij *Accipitres* se vocitabant, quasi ipsorū rapinæ cunctę paterent. ALB. Quid ergo? Tu in principib. & summatib. viris improbas hæc gloriosa nomina? MAR. Improbo equidē, si iactantiæ caussa sibi sumserunt, non si a populo imponuntur. Tunc enim sustinent iudicium populi, non illud ipsi

accer-

accersunt. Aristides penes Græcos iustus & dictus & habitus est, populi, scilicet nuncupatione, non sua. Putasne Aristidē in concionibus ad populum, aut in epistolis, aut in sermone familiari dixisse, *Aristides iustus ita censeo, ita mando ita scribo*, non opinor. Similiter apud Roman. L. Acilius, M. Cato, C. Lælius *Sapientes*, vulgo cognominati, nam ipsi nunquā seipsos sapientes vocabant, quod si fecissent, repugnassent suo cognomento, & insipientes visi omnibus fuissent. Erat hoc in more Populi Romani, cognominare Principes ciuitatis a gentium deuictarum nominibus, cum maioris notitiæ, tum virtutis acuendæ gratia. Hinc Africani, Asiatici, Numidici, Cretici, Isaurici demanarunt, & si qua alia sunt huiusmodi. Nam Pompeio additū Magni cognomentum putatur familiariū assentatione. Maius adepti sunt cognomen Fabij, vel maximum potius. Omnes enim Fabiorum familia, *Maximi*, cognominabantur, vt illud indicat Ouidianum:

Nec domus est Fabios supra cognominis vlla;
Illa domus meritis maxima dicta suis.

L. Sylla *Felix* vocitatus: nam ita se dici voluit, qui sane titulus minime arrogans Plutarcho visus, propterea quod videatur, res, quas prospere gessisset, Deorum immortalium beneuolentiæ erga se ascribere. C. Cæsari Octauiano ob magna eius in Rempublicam merita datum a senatu, vt *Augustus* nũcuparetur, quod perinde est, ac si dicatur, sacer aut venerabilis. Sed quis est ille e Cæsaribus, qui vocatus est *Optimus*? Traianus (vt opinor) eodẽ senatu auctore, vt hoc cognomen haberet cum Ioue: nam Iupiter Optimus Maximus dicebatur, & prius quidem Optimus, quam Maximus (vt Cicero inquit) quoniam præstantius est beneficentia & liberalitate & iustitia excellere, quam infinitas opes possidere. Antoninus deinceps, qui egregie imperauit, *Pii* nomẽ assecutus est. BAPT. Iam diu te, Marce, obseruo, vt videã si memoria polles. MAR. Quid ita Baptista? BAP. Quoniam si memoria polleres, non omitteres Iustinianum

nianum nostrũ, cui omnia Iurisconsulti debemus. Is initio Institutionũ, Digestorum, Codicis, quibus libris omne Romanum ius inclusit, cui longa titulorũ pompa nobis sit obuiam, Alemanicus, Gotthicus, Francus, Germanicus, Atticus, Alanicus, Vandalicus, Africus (hæc a deuictis gentibus cognomina) quid deinde? Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator. ALB. Satis hic bene titulatus processit. MAR. Nunquam equidem, Baptista, hoc mihi sumsi, vt proferrem quæcunq; cognomina, quæ Romani Imperatores vel a seipsis sumta, vel ab aliis tributa anteferebant, sed satis huic sermoni fore putabam, si quædam exempli tantummodo caussa proferrem, quod si id mihi fuisset animi, nunquam hunc omisissem, qui tot ambulat suffarcinatus cognominationibus, vt eas parua tabella capere non possit, neq; tamen hunc contemserim Imperatorem, qui & bella multa prospere gessit, & omne ius vetus (vt ipse gloriatur) enucleauit. Breuissimus ille titulus quidẽ, sed tamen

quin propriis ritib. vterentur. Et Nerua quidem talis fuit, vt non se Dominum, sed patrem omnium dici & haberi vellet. Impudentia superauit omnes (vt mihi videtur) tali in re Arcadius, qui in edicto æternitatem maiestatis suæ proposuit. Alb. Itane vero ausus est ille scribere? Mar. Cur non scriberet? Nam (vt est penes Satyricum)

——Nihil est quod credere de se
Non possis, cum laudatur diis æqua potestas.

Audiuit Arcadius forte quendam ex adulatoribus dicētem, quod æternus esset: credidit: hinc illa æternitatis vox nata est.

Roma patrem patriæ Ciceronē libera dixit.

Ita enim Satyricus, notans sua & superiora tempora, quibus Imperatores de Repub. deque imperio pessime meriti, *patres patriæ* nominabantur, quasi hæc vox a seruientibus ciuibus exprimeretur, coacte, ingratis, & præter voluntatem: vocari te oportet (si ita conuenit) patrem patriæ, cum talis inuentus fueris multis beneficiis erga patriam impensis, non te hunc

titulum

titulum præripere, & ita vocari, antequam ſis vel conſtet futurum. ALB. Vetera conquiris, Marce, nihil de his dicens titulis, quibus reges hodie noſtri vtuntur. Vides Regem Gallorum, *Chriſtianiſsimum*: regem Hiſpaniarum *Catholicum*, paſſim nuncupari. Pontificem vero *Maximum* omnes ſanctiſſimi vocent nomine. Te ego vagantem, Marce, inter veterum Regum cognomina reuoco ad hæc tempora, vt dicas, quid de iſtis ſentias. MAR. Atqui non erat difficile, Alberte, meam ex ſuperioribus cognoſcere ſententiam. Si tamen de hoc aliquid dicendum eſt apertius, approbo hos titulos ab aliis delatos noſtris Regibus. Nihil enim habet tumoris, oſtendere ſe ſub Chriſtianiſſimi & Catholici vocabulo pro Chriſti eccleſia aduerſus hæreticos & infideles pugnare paratos. Pontifex vero Romanus, etſi ab aliis audiat ſe *ſanctiſsimum* vocari propter officium, quod ſanctitatem ſummam deſiderat: ipſe tamen in reſcriptis vocat ſe *ſeruum ſeruorum* Dei: quia in Epiſcopo nihil poteſt vera humili-

eminentissimus, quo Persarum reges & in epistolis & edictis olim vtebantur. ALB. Qui titulus iste, Marce? num ille? *Rex Regum*. MAR. Iste ipse Alberte. Maxima quodam tempore in illis Regib. fuit potentia: Romanæ tamen neutiquā par, cui totus ferè orbis succubuit. Negabant Persarum Reges quenquā in Imperio suo esse liberum, sed omnes Regios esse seruos, præter seipsos & vxorem. Itaque Persarum suberant imperio, Regem vt herū habebant, & heri nomine nūcupabant, prædicatio Regis de illis, vt de seruis erat. At Romani neminem Dominum vocabant, nec Imperatorum quisquam Romanorum id sibi nomen assumsit ante Domitianum. Ille primus id nomen appetiuit, & vsurpauit: nam cum quæstoribus suis dictaret epistolam, quam emitti ab illis vellet, sic exorsus est: *Domitianus Dominus Deusque noster*. Hac eius cupiditate perspecta, sequuti sunt postmodum ceteri, & de eo homines, vt de Domino Deoque nostro loquebantur. ALB. Inuiti scilicet. MAR. Credo, præ-

do, præter paucos, qui lucri sui caussa eius potentiæ adulabantur. ALB. O insignem impudentiam. Non solum Dominum, sed etiam Deum se dici voluit. MAR. Existimabat se Diis parem potestate, quia magnum equitatum, magnum legionum numerum alere poterat. Hæc tamen nomina arrogãtia plena, Nerua successor imperij renuit. Hinc ille inquit in epigrammate:

Non est hic Dominus, sed Imperator,
Sed iustissimus omnium senator.

Melior hæc laus in Iusti nomine, q̃ in Domini. Nam iustitiam exercere recta tantum possunt ingenia, dominari etiam improbi possunt. Hic mitissimus omnium Imperatorum fuit, nec nostræ religionis hominibus iniquus, qui superiorũ principũ vitio extremis exẽplis necabãtur. Ipse quenquam Iudaicæ superstitionis accusari vetuit, vt est apud Dionem: quod de Christianis est intelligendum, qui videbantur originem religionis suæ a Iudæis duxisse. Veteres autem Iudæos nunquã prohibuerũt Romani,

eminentissimus, quo Persarum reges & in epistolis & edictis olim vtebantur. ALB. Qui titulus iste, Marce? num ille? *Rex Regum*. MAR. Iste ipse Alberte. Maxima quodam tempore in illis Regib. fuit potentia: Romanæ tamen neutiquã par, cui totus ferè orbis succubuit. Negabant Persarum Reges quenquã in Imperio suo esse liberum, sed omnes Regios esse seruos, præter seipsos & vxorem. Itaque Persarum suberant imperio, Regem vt herũ habebant, & heri nomine nũcupabant, prædicatio Regis de illis, vt de seruis erat. At Romani neminem Dominum vocabant, nec Imperatorum quisquam Romanorum id sibi nomen assumsit ante Domitianum. Ille primus id nomen appetiuit, & vsurpauit: nam cum quæstoribus suis dictaret epistolam, quam emitti ab illis vellet, sic exorsus est: *Domitianus Dominus Deusque noster*. Hac eius cupiditate perspecta, sequuti sunt postmodum ceteri, & de eo homines, vt de Domino Deoque nostro loquebantur. ALB. Inuiti scilicet. MAR. Credo, præ-

do, præter paucos, qui lucri ſui cauſſa eius potentiæ adulabantur. ALB. O inſignem impudentiam. Non ſolum Dominum, ſed etiam Deum ſe dici voluit. MAR. Exiſtimabat ſe Diis parem poteſtate, quia magnum equitatum, magnum legionum numerum alere poterat. Hæc tamen nomina arrogãtia plena, Nerua ſucceſſor imperij renuit. Hinc ille inquit in epigrammate:

Non eſt hic Dominus, ſed Imperator,
Sed iuſtiſſimus omnium ſenator.

Melior hæc laus in Iuſti nomine, q̃ in Domini. Nam iuſtitiam exercere recta tantum poſſunt ingenia, dominari etiam improbi poſſunt. Hic mitiſſimus omnium Imperatorum fuit, nec noſtræ religionis hominibus iniquus, qui ſuperiorũ principũ vitio extremis exẽplis necabãtur. Ipſe quenquam Iudaicæ ſuperſtitionis accuſari vetuit, vt eſt apud Dionem: quod de Chriſtianis eſt intelligendum, qui videbantur originem religionis ſuæ a Iudæis duxiſſe. Veteres autem Iudæos nunquã prohibuerũt Romani,

eminentissimus, quo Persarum reges & in epistolis & edictis olim vtebantur. ALB. Qui titulus iste, Marce? num ille? *Rex Regum*. MAR. Iste ipse Alberte. Maxima quodam tempore in illis Regib. fuit potentia: Romanæ tamen neutiquã par, cui totus fere orbis succubuit. Negabant Persarum Reges quenquã in Imperio suo esse liberum, sed omnes Regios esse seruos, præter seipsos & vxorem. Itaque Persarum suberant imperio, Regem vt herũ habebant, & heri nomine nũcupabant, prædicatio Regis de illis, vt de seruis erat. At Romani neminem Dominum vocabant, nec Imperatorum quisquam Romanorum id sibi nomen assumsit ante Domitianum. Ille primus id nomen appetiuit, & vsurpauit: nam cum quæstoribus suis dictaret epistolam, quam emitti ab illis vellet, sic exorsus est: *Domitianus Dominus Deusque noster*. Hac eius cupiditate perspecta, sequuti sunt postmodum ceteri, & de eo homines, vt de Domino Deoque nostro loquebantur. ALB. Inuiti scilicet. MAR. Credo, præ-

do, præter paucos, qui lucri sui caussa eius potentiæ adulabantur. ALB. O insignem impudentiam. Non solum Dominum, sed etiam Deum se dici voluit. MAR. Existimabat se Diis parem potestate, quia magnum equitatum, magnum legionum numerum alere poterat. Hæc tamen nomina arrogãtia plena, Nerua successor imperij renuit. Hinc ille inquit in epigrammate:

Non est hic Dominus, sed Imperator,
Sed iustissimus omnium senator.

Melior hæc laus in Iusti nomine, q̃ in Domini. Nam iustitiam exercere recta tantum possunt ingenia, dominari etiam improbi possunt. Hic mitissimus omnium Imperatorum fuit, nec nostræ religionis hominibus iniquus, qui superiorũ principũ vitio extremis exẽplis necabãtur. Ipse quenquam Iudaicæ superstitionis accusari vetuit, vt est apud Dionem: quod de Christianis est intelligendum, qui videbantur originem religionis suæ a Iudæis duxisse. Veteres autem Iudæos nunquã prohibuerũt Romani,

eminentissimus, quo Persarum reges & in epistolis & edictis olim vtebantur. Alb. Qui titulus iste, Marce? num ille? *Rex Regum*. Mar. Iste ipse Alberte. Maxima quodam tempore in illis Regib. fuit potentia: Romanæ tamen neutiquã par, cui totus fere orbis succubuit. Negabant Persarum Reges quenquã in Imperio suo esse liberum, sed omnes Regios esse seruos, præter seipsos & vxorem. Itaque Persarum suberant imperio, Regem vt herũ habebant, & heri nomine nũcupabant, prædicatio Regis de illis, vt de seruis erat. At Romani neminem Dominum vocabant, nec Imperatorum quisquam Romanorum id sibi nomen assumsit ante Domitianum. Ille primus id nomen appetiuit, & vsurpauit: nam cum quæstoribus suis dictaret epistolam, quam emitti ab illis vellet, sic exorsus est: *Domitianus Dominus Deusque noster*. Hac eius cupiditate perspecta, sequuti sunt postmodum ceteri, & de eo homines, vt de Domino Deoque nostro loquebantur. Alb. Inuiti scilicet. Mar. Credo, præ-

do, præter paucos, qui lucri ſui cauſſa eius potentiæ adulabantur. ALB. O inſignem impudentiam. Non ſolum Dominum, ſed etiam Deum ſe dici voluit. MAR. Exiſtimabat ſe Diis parem poteſtate, quia magnum equitatum, magnum legionum numerum alere poterat. Hæc tamen nomina arrogãtia plena, Nerua ſucceſſor imperij renuit. Hinc ille inquit in epigrammate:

Non eſt hic Dominus, ſed Imperator,
Sed iuſtiſſimus omnium ſenator.

Melior hæc laus in Iuſti nomine, q̃ in Domini. Nam iuſtitiam exercere recta tantum poſſunt ingenia, dominari etiam improbi poſſunt. Hic mitiſſimus omnium Imperatorum fuit, nec noſtræ religionis hominibus iniquus, qui ſuperiorũ principũ vitio extremis exẽplis necabãtur. Ipſe quenquam Iudaicæ ſuperſtitionis accuſari vetuit, vt eſt apud Dionem: quod de Chriſtianis eſt intelligendum, qui videbantur originem religionis ſuæ a Iudæis duxiſſe. Veteres autem Iudæos nunquã prohibuerũt Romani,

quin propriis ritib. vterentur. Et Nerua quidem talis fuit, vt non se Dominum, sed patrem omnium dici & haberi vellet. Impudentia superauit omnes (vt mihi videtur) tali in re Arcadius, qui in edicto æternitatem maiestatis suæ proposuit. ALB. Itane vero ausus est ille scribere? MAR. Cur non scriberet? Nam (vt est penes Satyricum)

—— Nihil est quod credere de se
Non possis, cum laudatur dijs æqua potestas.

Audiuit Arcadius forte quendam ex adulatoribus dicētem, quod æternus esset: credidit: hinc illa æternitatis vox nata est.

Roma patrem patriæ Ciceronē libera dixit.

Ita enim Satyricus, notans sua & superiora tempora, quibus Imperatores de Repub. deque imperio pessime meriti, *patres patriæ* nominabantur, quasi hæc vox a seruientibus ciuibus exprimeretur, coacte, ingratis, & præter voluntatem: vocari te oportet (si ita conuenit) patrem patriæ, cum talis inuentus fueris multis beneficiis erga patriam impensis, non te hunc

titulum

titulum præripere, & ita vocari, antequam ſis vel conſtet futurum. ALB. Vetera conquiris, Marce, nihil de his dicens titulis, quibus reges hodie noſtri vtuntur. Vides Regem Gallorum, *Christianiſsimum*: regem Hiſpaniarum *Catholicum*, paſſim nuncupari. Pontificem vero *Maximum* omnes ſanctiſſimi vocent nomine. Te ego vagantem, Marce, inter veterum Regum cognomina reuoco ad hæc tempora, vt dicas, quid de iſtis ſentias. MAR. Atqui non erat difficile, Alberte, meam ex ſuperioribus cognoſcere ſententiam. Si tamen de hoc aliquid dicendum eſt apertius, approbo hos titulos ab aliis delatos noſtris Regibus. Nihil enim habet tumoris, oſtendere ſe ſub Chriſtianiſſimi & Catholici vocabulo pro Chriſti eccleſia aduerſus hæreticos & infideles pugnare paratos. Pontifex vero Romanus, etſi ab aliis audiat ſe *ſanctiſsimum* vocari propter officium, quod ſanctitatem ſummam deſiderat: ipſe tamen in reſcriptis vocat ſe *ſeruum ſeruorum* Dei: quia in Epiſcopo nihil poteſt vera humili-

tate esse sublimius. Et de titulis quidem Principalibus satis, nisi forsitan audire vis de Antonino Bassiano, qui, etsi Getas vicerit, *Geticum* se vocari ægerrime tulit. Alb. Quid nam hoc? Aueo namque audire. Mar. Is Antoninus Getam fratrem imperii consortem suapte manu occiderat, vt solus imperaret: culpam autẽ omnem transferebat in fratrem, quod ab eo se prius impetitum diceret. Verumtamen, cum Sarmatici, Parthici, Arabici nomen sibi adscriberet: Helius Pertinax Imperatoris Pertinacis filius, qui tunc aderat. Adde (inquit scribę) si placet Geticus, quod Getas quoque ad Orientem transiens tumultuariis præliis fuderat. Ille tamen Getæ fratris necem exprobrari sibi illo dicto ratus, hominem tollendum interficiendumq; curauit. Alb. Salse quidem & acute: tametsi ei, qui illud protulit, male ceciderit. Verumtamen ita res habet: Vix potest vir sapiens, vbi quid incidit, quod belle dici in alterum possit, se continere. Mar. Sunt etiam quædam præter titulos, quæ

affectant

affectant Principes, vt veneratio eorum ſit grandior. Nam accedentes vel genua amplecti, aut etiam ad pedes iacere volunt: humaniores habentur qui admittunt ad manus oſculum. Sunt etiam nõnulli, qui vbi ſunt ipſi, aperto quoſcunque capite aſtare iubent. Eſt honos quidem & poteſtas Regia ſupra homines: ea tamen eſt hominis: quamobrẽ laudatur nobiliſſimi oratoris voce Traianus Imperator, ꝙ æquali pene iure cũ ciuib. ageret: & quod ei ſubiecti eſſent homines nõ alia ratione, quã qua ſubiiciuntur legibus. Nam eis ſeruiunt omnes: & reuerentia nihilominus quædam ab omni terrore & faſtidio libera adhibetur. Summis etiam attollitur laudibus idem Traianus, quod cum adeſſet ad exercitum, & abſens imperator electus rediret, ingreſſus fuerit vrbem pedibus non ſatellitum circumfuſus manu: ſed nũc ſenatus, nunc equeſtris ordinis flore, prout alterutrũ frequẽtiæ genus valuiſſet: & quod dum ſenſim placideque graderetur, plures ſalutabat nominatim: & quaſdam et-

iam familiaritatis notas addebat, cum priores Principes quadriiugo curru, & albentibus equis inuehi, vel seruorum ceruicibus gestari solerent. Alb. Vere Traianus dignissimus fuit imperio. Is enim est, quem aiunt diui Gregorii precibus ab inferis reuocatum, & ad cœlestia gaudia receptũ. Mar. Dicitur id quidem: sed nulla huius rei certitudo: quoniam sine vera religione non est aditus ad illa gaudia. Fateor tamẽ, Traianum fuisse in imperio talem, qualem vix quisquam alius veræ laudis cupidus se futurum posset polliceri. Sed vt iam veluti a longa digressione domum redeamus, Alberte, prioribusque immoremur: plurima moliuntur Principes, ostentandæ potentiæ caussa, non animaduertentes, quod licet magnum sit posse, maius tamen est sapere. Nam non solum animata multa, verum etiam inanima quædam non parua prædita sunt potestate, veluti fulmina, ventorum flatus, aquarum eluuiones, herbarum radicumque varia genera, & alia multa in syluis agrisque crescentia: quorum

rum vim ac potentiam & literæ doctissimorum hominum produnt, & quotidianus edocet vsus. Illata (vt repetam sæpius) Alberte, summa gentibus pernicies: cum potentia a sapientia disiuncta est: & alii potentes, alii sapientes apparuerunt. Effectum est hac ratione, vt potentia perniciosa esset Rebuspublicis, sapientia inutilis: quæ si coniuncta manerent, exsisteret singulare quiddam atque prçclarum: cum potentiæ sapientia ordinem & modum adhiberet: ne veluti immensum flumen extra ripas damnose diffflueret, & sapientiæ potentia, vim, robur, neruos, auctoritatem arrogaret. Forsitan quæratur, quid ego sapientiam vocem? Dixi antea, & iuuat repetere. Nihil aliud ego voco sapientiam, quam diuinarum humanarumque rerum cognitionem: ita enim veteres eam definierunt. Mirum autem, si hęc alicui possit contingere, qui non multa viderit, legerit, audierit: multa vsu tractandoque cognouerit: multorum literas, sapientiam, ingeniumque perspexerit. Neque tamen hoc ita ad

uiuum reſeco, vt putē Principi nihil neſcire licere, ſed tamen vt plurimarum rerū fontes & capita teneat, neceſſe eſt. In primis vero ſummæ illius & immutabilis veritatis præceptam & præcognitam naturam habere debet, quam qui non nouerit, veneratuſque fuerit, falſas poſſidet virtutes etiam in optimis moribus. Inuocet aſſidue oportet illum, vt ei ſit in ore, corde, & opere, regat in dubiis: inſtruat in perplexis, ducat & comitet in omnibus, ſine quo nihil validum, nihil rectū, nihil ſanctum, nihil poſſibile, ipſi autem omnia poſſibilia. ALB. Nempe Deum dicis. MAR. Quem alium potius? neque enim alteri ſermo iſte aptari poteſt. Solus ipſe eſt omnipotens, ſolus dirigit: ſolus eſt portus ſalutis.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber ſextus.

ALBERTVS.

SI aliquādo tali ſapientia præditum cōceſſerit Deus, poteſne mihi mēbratim,

bratim, Marce, dicere, quæ & qualia ille molietur? Nam si dixeris, aget ille omnia, quæ sapientem agere decet Principem, nimis id informe esset & rude, nec dignum prudentia tua. Imperfectum præterea id fuerit responsum, vtpote quod non finiat quæstionem, & dimittat incertũ interrogantem: nam nihilo magis nouerit, quod quærebat, & instabit rursus quærens, quæ sint ea, quæ sapientẽ agere decet Principem. Hæc tibi sigillatim exprimẽda sunt, si interrogationi meę satisfactum esse cupis. MAR. Quin tu tibi respondes potius? ALB. Ego in te hoc onus deriuare cupiebã, nam sapientis explicare actiones ad sapientẽ ptinet. Ego me nondũ talem agnoui. MAR. Nec ego me talem. ALB. Quid igitur fiet? Nũ si aliquis ita vtrumq; nostrum interroget, quemadmodum ego te, quæ & quales erunt actiones sapientis Principis, postulans eas sibi enumerari, obmutescemus? nec habebim⁹ aliquid, q̄ respondeamus? & illũ discedere a nobis incertiorẽ, multo quam venerat, patiemur? Cum videat nos, qui

tantopere ſapientem Principem extollimus, ſolumque imperio dignum ducimus, nihil habere certi, quod de eius actionibus dicamus. An non hæc turpitudo omnino vitanda nobis? Tu igitur huic moleſto quæſitori, ſi talis vnquam aduenerit, pro vtroque reſponde, & da operam, vt eius interrogationi (vt ſoles) ſatisfacias. MAR. Quid ſi hoc onus Baptiſtæ imponimus, qui iam diu tacuit. Ego enim iam multa eloquutus ſum, rogemuſque eum, vt nobis aliquid ſuauitatis ſuæ in dicendo impartiatur: ALB. Faciendum cēſeo. Itaq; vides, Baptiſta, quid a te vterque noſtrum deſideret. Scire cupimus actiones ſapientis Principis, eas nobis vt explices, rogamus. BAPT. A mene tantum id petitis? & facere me vultis, quod vterq; veſtrum implere detrectat? quaſi ſciam ipſe aliquid, quod vos ignoretis. Veruntamen ne impoſitas mihi partes in hoc ſermone fuiſſe videar: neue illiberalis eſſe dicar, ſi particeps tam egregie loquutionis in eam nihil contulero: accedam ad id, quod quæritur, paucis tamen

vel

vel ſummatim potius rem ipſam perſtringendo. Quærunturactiones ſapientis Principis in Reipub. ſcilicet, adminiſtratione. Explicite narrare, & minutatim quid per ſingula quiſq; acturus ſit, difficile eſt, diuerſa hominum ſtudia, diuerſæque voluntates: diuerſus regionũ captus, proſpiciendum eſt vbi & quibus imperes. Video namq; Lycurgum in Lacedæmoniorum Repub. diuerſa ſanxiſſe ab iis, quæ Minos in Cretenſium ſanxit Republica: diuerſa etiam ab vtroque inſtituiſſe Numam penes Romanos: cum tamen omnes eodem cõtenderent, vt Reſpublica recte adminiſtraretur, & ciues ſui, quantum in ipſis eſſet, degenerent beate. Non eadem inſtituta fuerunt Carthaginenſium, Siciniorum, Locrẽſium, vt ex multorum ſcriptis colligere licet. Vt ſingulorum varii mores, ita & populorum ſunt. Atheniẽſes olim hilares, iracundi, violenti, placabiles erant, & ſupra vires audaces: Lacedemonij contra graues, ſeueri, cunctatores, vix his, quibus inſiſtebant, fidentes. Aſiano-

rum tumida ingenia, inania, pauida ad ſeruiendum parata. At Germanos videas feroces, mortis contemtores, libertate gaudentes: Itali pari virtute magis cauti, & ratione pericula declinantes. Negocia item hominum, vt pleraque ſub eodem genere ſint, paribus tamen differunt, aliud alio plus vel minus, & diuerſum quid habet, ita vt omni ſimilitudine par dici nõ poſſit. Sigillatim igitur diſcutere, quid apud quoſq; populos quaq; de re quiſque acturus ſit in maxima locorũ, ingeniorum, negociorum varietate, infiniti eſſet operis, nec tutum dicere. Magna etiam vis eſt temporum: nam quod vno aliquando probatum fuit tempore ob certas cauſſas, poſtea his conuerſis fuit improbatum. Summatim autem & generaliter res pręſcribi poteſt. Quid igitur acturus ſit ſapiens in Repub. princeps ſi de me quęratur, ſic reſpondeã. Principio religionem ille verã inducet & tuebitur, ſuperſtitione fugata: dabitq; operã, vt caritatẽ & prouidẽtiã Dei in omne humanum genus diffuſam omnes cogno-

ſcant

ſcant, & quæcunque fidei noſtræ myſteriis tradita ſunt, firmiter teneant, frequenti auditione diuini verbi, precibus ad Deum humillime fuſis: viles efficiet diuitias: præſcribendo ciuibus moderatum cultum, vltra quem nemini poſſidere quicquam nec libeat, nec liceat. Enimuero duo quædam vigent modo in ciuitatibus, quæ frangunt animos hominum & corpora, ſemperq; fregerunt, deſidia videlicet & luxus: hæc igitur duo ille pellet, & totidẽ contraria ſubſtituet, pro luxu frugalitatem, pro deſidia laborem. At controuerſias ciuium pro re natas, quam iuſte exſtinguendas curabit, & quã velociter litum legib. ad definiẽdas lites validiſſimis & ęquiſſime ſcriptis, tum ſentẽtiis iudicũ incorruptorum, non alio, quam ad cauſarũ merita ſpectantium: nam nunc pleriq; (bona venia liceat dicere) ad pſonã ſępius reſpiciunt, nec aduerſus argentũ ſunt ſatis firmi, officinas inſtituet in vrbib. armorum, eorundemq; gymnaſia in eiſdẽ collocabit, efficietq; vt corpora exerceãt ciues venatu, curſu, lucta-

tione, equitatione, armorũ denique tractatione, idque potissimũ studebit, vt durẽt se laboribus, quo deinceps in prçlio fortes sint & feroces, nec hostem cominus extimescant. Nec tamen bellorum erit appetens, sed fortitudine sua exercitusque sui, terrori fuerit finitimis, ne prouocent, & prouocatus non tam pertinax erit in gerenda bella, quam facilis in ponendo. Quid de ingeniis aliis dicã disciplinis? An non harum magistros ad se alliciet vndique ingentibus propositis præmiis ad eruditionem iuuentutis, profectumque ingeniorum, & ad decus ornamentumq; ciuitatum? Ne artes quidem negliget inferiores, quæ manu vtuntur, quas necessitatis caussa vita humana adinuenit. Nam has quoque iubebit adesse frequentes, reiectis tamen illis, quas ad effœminandos corrumpendosque animos pertinere videbit. Sicut vero nemini nocere volet ipse iniuste, ita nec alterum patietur impune. Nã dissimulata scelera augent licentiam peccãdi, sed vt maleficia coercebit terrore pœnarũ, sic vir-

ſic virtutes prouehet in maius honoribus & aliorum dulcedine præmiorum. Vtetur autem grauioribus & dubiis in rebus non ſua tantum, ſed etiam amicorum prudentia, cõquiſitis ſententiis, vt quid magis expediat ex varietate ſententiarum argumentorumq; collatione facilius deprehendi cognoſcique poſſit. Manifeſtum autem, quod amicos moribus ſuis ſimiles deliget, id eſt, bonos & prudentes, qui & honeſta ſuggerant conſilia, & ad recta cohortentur. Et quia diuerſa hominum ſunt ingenia, quædã quieta, placida, moderata: alia acria, vehementia, fortia, vtriſq; vtetur pro conditione naturæ ſuæ, alteris in conſiliis capiendis, alteris in rebus gerendis. Nam & conſulto opus eſt, & habere qui conſulta mature exequãtur. Valde autẽ refert, quos lateri ſuo adiungat Princeps, boni ne ſint an mali, vt quandoque fuerit dictum, melius eſſe ei Reip. in qua malus eſſet Princeps, amici Principis boni, quam vbi ex aduerſo Princeps bonus, amici mali. Vnus quippe a multis facile corrigitur,

multi ab vno nulla ratione ſuperari queunt. Erit idem quantum ad mores pertinet, domi foriſq; egregius, pius, clemens, liberalis, magnanimus: erit etiam humanus, ſimplex, hilaris: ita vt nec hilaritas imminuat ſeueritatem: nec ſimplicitas grauitatẽ: nec humanitas maieſtatem: ſed in eo ſit omnium virtutum concentus atq; concordia. Hęc & his ſimilia munia erunt ſapiẽtis Principis, qui ſe populis, nõ populos ſibi natos arbitret̃. De inſipiẽte nõ neceſſe eſt protrahere ſermonem: ſed vnico verbo dici poteſt, nihil horum vel pauca quædam acturum: & ſi tyrannico more ſibi putauerit viuendum, contraria omnia præſtiturum: trahet, rapiet, lacerabit, necabit, & eadem multis facere permittet: ad libidinẽ vnius hominis gerentur omnia non ſecus, ac ſi quod ille iuſſerit, id lego poſtularent. Quid plura? peccabitur vndiq; intra muros & extra. Aegre ferendũ eſt omnino talia fieri, ſed non admodum mirandum. Quid enim faciat, qui nullum cum ſapientia, doctrina, Muſis habeat cõmercium?

Non

Non enim intelligit, quid Principis dignitas velit: quid maiestas tanta requirat. Cur sibi in populos tradita sit gladii potestas: demum quod Principis munus sit ignorat, nec quo cõsilia actionesue suas referre oporteat, tenet: Principẽ se vocari, & omnia sibi licere audit: Vnũ ergo putat opus esse principis, agere quodcũq; cõcupiscit: nam si quod honestas suadet, fas permittat, faciat tãtũmodo, nihil se a priuato differre existimat. Itaq; vt ostendat se Principem, ea peragit, imperat, mandat, quę non modo Principis, sed ne hominis quidem sunt mediocriter insanientis: polluit scelere suã & multorum conscientiã: maximãq; sibi irrogat contumeliam, dum se de omni hominis dignitate deponit. Nã nihil in homine ratione dignius: quã abiicit ille cupiditatibus parendo. Et hic quidẽ tam fœdus, & turpis vitæ huius spacium peragrat: at vbi ab humanis decessit, ad diuinas venitur leges: quæ animam eius nudam suscipientes miris verberant modis, horribilibusque affligunt suppliciis: propterea quod

hic potentia principatus fretus, leges humanas, contemserit atq; despexerit, dum non sibi, sed aliis scriptas arbitratur, cum tamen eas reuereri deberet, veluti germanas & socias: & ipsarum diuinarum legũ æmulas, deq; earum vi prodeuntes: hos & tales parit ignorantia exitus, graues populis, qui illam experiuntur; grauiores ipsis Principibus, qui aluerunt & corroborauerunt. Non enim diuina supplicia humanis conferri possunt. Hos ego Tyrannos, qui non diem, imo ne horam quidem, præterire sine cruore & rapina passi sunt, qui in cunctos Tyrannidem & sæuitiam suam exercuerunt, quales Græcia & Roma multos tulit, quæro quibus comparem? Nullum enim animal rationis expers, tam ferum immansuetumq; video, quod non istorum crudelitate vincatur, nisi eos Basilisco libeat comparare. In eo enim videtur qualemcunq; effigiem sæuissimorum Tyrannorum effinxisse. Primum communione nominis illis coniungitur: Græci basiliscum, quasi basilicum, Latini simili loquutione

tione vocant Regulam. Deinde gestat in capite veluti Diadema candidam maculã, reliquo nigricante corpore. Illud regum ſimile, quod non vt reliquæ eiuſdem generis beſtiæ humi repit lubrice multiplicique flexu, ſed celſus & erectus in medio incedit. At pernicies quanta? necat non contactu modo, ſed afflatu frutices, exurit herbas, rumpit ſaxa, hominem ſi aſpiciat tantummodo, interimere exiſtimatur, hunc & ipſi fugiunt ſerpentes vim eius metuentes, vbi audiunt ſibilum, longe recedunt: Inuentũ eſt venenum, quod reliquis venenis noceret. Similis tyrannorum vita, non omnium quidem, ſed eorum, quorum inſignis fuit crudelitas: hi quocunque incedebãt, cuncta lęua dextraq; peruſta cernebantur, ſuis & domeſticis, & his etiam, qui eiuſdem iniquitatis fuerant participes, erãt terrori: quicquid contingebant, afflabant, atque adeo aſpiciebant, id dominis, imo & cum dominis peribat. Hos ego Baſiliſcis comparo, quanquam forſitan inepte. Quis enim vnquã Baſiliſcus tam

late vastauit omnia, quam Nero, Caligula, Domitianus, Cõmodus, Maximinus, Licinius, reliquæ Tyrannicæ pestes. Horum ego vitam miseram statuo, & eo longe miseriorem, quo diutius illis impune licuit peccare. Nam peccatum sine pœna maxima est pœna: cum impunitate proposita consuetudo peccandi protrahatur, indiesque augeatur & corroboretur, quo nihil deterius. Vt iam concludatur sermo, nihil tyrannico viro miserius, nihil sapiẽte principe felicius. Et postquam de huius actionibus nobis loqui propositum fuit, easque sicut ingenij facultas tulit, ꝓtulimus: ecquod in terris æque optandum & tam conspiciendum, quã peritissimus, omnique virtute instructissimus, & Deo quam simillimus Princeps? Vt enim Principis potestate inter homines nihil mai⁹, sic eius munere nihil melius, si, vt oportet, administret. Is enim est, qui quæritur, & a nobis commendatur, non qui titulo & honore Principatus contentus, negligat se ipsum & ceteros, vel ad insaniam libidinum

suarum

ſuarum cuncta diſponat, ſed qui prudenter agendo oſtendat ſe dignum tantis opibus tantoque munere. Vt enim vident omnes, quod vnus omnibus imperat: ſic videant pariter omnes, quod vnus omnibus debeat imperare. Hæc ſunt quæ in propoſita quæſtione confero in medium: non autem tam longo vſus eſſem ſermone, niſi veſtra me, & auctoritas ad dicendum & oratio impuliſſet. ALB. Et elegantem Baptiſta, & grauem, & valido ſententiarum robore inſtructam, tua denique prudentia dignam orationem habuiſti, & quantum ad me attinet, eam valde comprobo. Vnum tamen illud me (vt vere dicam) commouit non leuiter, quod & nos antea, & tu apertius in oratione tua poſuiſti, quæcunq; peccant in rebus Principes, ea ab ignoratione proficiſci. Vereor ne plerique contra hæc inſurgant, aſſerentes non omnia peccata ignoratione, ſed pleraq; dolo & fraude ſuſcipi, cum homines intelligant ſe delinquere, nec tamen abſtinent a delictis, indulgẽtes cupiditati-

bus ſuis. Quis ignorat adulterium eſſe delictum? nemo, imo fatebitur, quilibet hoc, quod tendit ad violationem fœderis maritalis, & prolis incertitudinem, magnum eſſe crimen, & tam magnum, vt legibus pœna capitis feriatur, & tamē nullum in vrbibus frequentius delictum. Si interrogaueris adulterum, cur id committat, an ſciat ſe delinquere: nunquam dicet ſe neſcire, ſed illud afferet Medeæ ex Poeta inſigni:

—— *Video meliora, proboq;,*
Deteriora ſequor. ——

Enimuero ſcientiæ opponit' ignorantia, ſicuti ſibiipſis inuicē opponitur voluntarium & inuoluntarium; propterea quod ſcientia voluntatem habeat facientis, ignorantia non habeat: omne autem peccatum voluntate contrahitur. Aut enim id quod geritur, peccatū non eſt, aut ſi eſt peccatum, voluntarium eſt. Cum igitur ignorantia voluntatem non habeat, caret eo, quod proprie peccatum facit, non igitur ab ignorātia peccatum proficiſcitur. Hoc vidiſſe videtur Iacobus

cobus Apoſtolus in Epiſtola, dum inquit: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Et Dominus in Euangelio: Seruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis. Ita enim dictum eſt de ſeruo cognoſcente voluntatem domini, quaſi extra omnẽ noxam ſit, ſi ignoret. Non peccat, qui ſe peccare neſcit: quamobrẽ nuſquam ignorantia plectitur legibus, ſed fraus (vt dixi) quæ non contingit ſine conſilio atque ſcientia eius, quod geritur. Hinc negant veſtri impuberem & furioſum capitalem fraudem admittere, fraudi autem adeo coniuncta eſt pœna, vt pro pœna fraudem veteres ponerent, & ſi quis errore, vel caſu quicquam vetitum admiſiſſet, fraudem, id eſt, pœnam ceſſare dicebant. Hinc vbi aliquis ſoluebatur legibus, plebiſcito vel Senatuſconſulto, ne illud ſibi eſſet fraudi, quod contra legem veniret, cauebatur. Quamobrem ſi Principes peccant in ſe ipſos & ciues, ita vt neſciant ſe peccare, ignoſcendum eſt, eiſq; parcendum, vt ho-

minibus. Multus enim error humanam vitam occupauit. Sin autem intelligunt se peccare, nec abstinet, falsum est, quod supponimus, Principes peccare ob ignoratione. Nam etiam intelligentes se peccare, nihilo secius peccant. Non ergo in caussa peccatorum est ignorātia: quam vitari posse diximus, si Principes doctrinæ, literis, disciplinisque incumberent: hoc recte diceretur, si nescientes peccarent Principes, sed si scientes eadem faciunt, cur pro remedio confugimus ad scientiam nihil profuturam, quasi non habeant, ac non potius iubemus, vt rationis freno comprimant eorum libidinem, cui nunc scientia succumbit. Non enim ignorabat Nero se delinquere, cum matrem interfici iuberet, & cum Senecā præceptorem eodem donaret munere, vt taceam de aliis eius cædibus & rapinis, quibus in optimū quenq; irruebat, quæ omnia aperte nefaria erant, & scelerata. Hæc mihi nunc occurrunt Baptista, quæ obiicerem orationi tuæ, sicut sæpe aliud alias occurrit, quæ vt discutias oportet,

portet, & diluas: si modo fides orationi tuæ, & superioribus nostris sermonibus constare debet. BAP. Mouisti, Alberte, quæstionem, non nunc primum, sed iamdudũ inter veteres Philosophos agitatã pluribꝰ sermonibus, dum quærunt subtilius, quæ sit origo, semen & caussa peccati, his illud, alij aliud censentibus: Non.n.conueniũt sententiæ, vt sunt diuersi ingeniorum captus. Quanquã his, quæ nuper obiecisti, Alberte, (si recte memini) occurrit antea Marcus, sed paucis veluti pteriens, & aliud agens. Veruntamen si plenius desideratur respõsum, & de re tota vis audire aliquid spatiosius, non deero huic voluntati tuæ: nam si cessaro, perierit nobis omnis superior oratio, quam tamẽ recte positam existimo. Assentior namq; Platoni, qui asserit omne peccatũ ab ignoratione proficisci. Nemo enim peccat, nisi quia id quod peccato assequitᷣ, putat bonũ, quamuis reipsa malum sit, verum opinio boni id efficit, qua erepta non reperiretur, qui peccaret. Absurdum porro est dicere aliquẽ præsen-

te ſcientia deligere id, quod eſt deterius. Nam dum id dicitur, illud dicitur inimicum eſſe eum ſibiipſi, quod fieri nequit. Nulla enim natura maior commendatio, quam ſui ipſius ad ſeipſum; deligit igitur, quod ſibi viſum eſt melius: cum autem id quod deligit, non ſit melius, ſed peius, non ſcientiam illo in iudicio, ſed falſam opinionem affuiſſe dicemus, adiutam a prauis cupiditatibus aduerſus rectam rationem. Etenim in bonorum malorumque ad vitam pertinentium delectu, communia & generalia vident omnes, nec in his vlla eſt aberratio: falluntur autem, vbi ad propria ventum eſt. Nam non perſiſtunt tunc in ſententia, propterea quod quæ ſenſibus lenocinantur, magis ſequuntur, eiſq; vt notioribus immorantur. Hoc oſtendere poſſum perſequens eadem exempla, quæ a te allata ſunt. Interroga adulterum, ſed ex his vnum, qui non erubeſcat de hoc crimine, ſed libenter fateatur, vel de illis potius glorieť, tales enim ſunt multi. Dic huic: Adulterium num cenſes eſſe malum?

Fatebi-

Fatebitur, ſi aliquam habet partem ſani iudicii: nam & naturalis ratio id admonet, quæ plurimum poteſt, & illud quoque, quod in propria vxore id recuſaret. Sequere: Tu ergo cum hac & illa nupta adulterium committis: hoc quoque fatebitur: nam vnum ex his facimus, quem non pudeat huius criminis, ſed libens agnoſcat. Perge porro, vt concludas: Ergo malum eſt tibi cũ hac & illa muliere adulterium committere, negabit: vel ſi forſitan fateatur, verbo id duntaxat fatebitur, ſed animo neutiquã aſſentietur: non enim ſi hoc malum ſibi eſſe exiſtimaret, illud patraret: diuertit enim tunc ad alia, & cogitat, quam iucundus ſit amicæ complexus, eamque iucunditatem ſequendam putat: nec male, niſi repugnaret honeſtati: In hoc enim aberratio, quod tãti æſtimat oblectari, vt id preferat honeſto, & dum id facit, bono ſuo ſe id facere arbitratur. Is ergo qui vtitur illo carmine: *Video meliora proboq́. Deteriora ſequor*, nõ ea profert ex animi ſententia, ſed ea propugnans adhuc pro recto aduerſus ſen-

ſuum illecebras. Ita enim Medea ſecum diſputãs & certans a Poeta inducitur. Nemo autẽ ſponte ſequitur deteriora, qui firmiter & inconcuſſe iudicat alia eſſe potiora. Nero interfecit matrem, nõ quia neſciret matrem a filio interfici eſſe malũ, ſed quia eam matrem, quam tunc habebat, interfici bonum eſſe exiſtimauit, ſpecię falſa deceptus opinati boni. Non enim illud verę bonum erat, ſed malum, quia parricidio ſe inquinauit fœdiſſime. Similiter nouerat Nero hominem necare malum eſſe, præſertim præceptorem ſumma grauitate & ſapientia pręditum: ad hũc hominem, & hunc præceptorẽ, quamuis ſumma grauitate & ſapientia inſignem necare, bono ſibi eſſe putabat. Falſo id quidem, ſed putabat tamen: non enim ea patrans parricidia, reb. ſuis male conſulere exiſtimabat, ſed optime. Eadẽ ratio eſt de cędibus aliis, rapinis, ſacrilegiis, incendiis, quæ ille, vt profutura ſuo imperio committebat. Hæc eſt illa ignoratio, qua detinentur improbi, quod cum priora concedunt, non tenent

tenent deinceps consequẽtia, & quod in genere malũ esse vident, id in specie oblata bonum sibi esse arbitrãtur. Dicis peccatum nasci volũtate, ignorationem autẽ non esse voluntariam. Ego aũt existimo non omnẽ ignorationem esse inuoluntariam, sed quandam suscipi volũtate. Nam sponte sua ignorare & capi videtur, qui quod in vniuersum scit esse malum, vbi ad se & propriam conuertit caussam, id bonũ esse existimat. Sicut enim qui nouit omnem mulam esse sterilem, nunquam dicet hanc vel illam mulam esse fœcundã, dummodo sciat esse mulam, & si diceret, repugnãtia diceret, & turpiter errare videretur, sic qui nouit omne adulterium esse malum, si deinceps dicat aliquod adulterium esse bonum, nonne turpiter labitur opinione? Et existimandum est voluntate id ignorare, quia in ea positum fuerat, cupiditates proprias frænare, a quibus abstrahitur, ne aut communia tunc consideret, vel si considerat, vt ea non modo rectam rationem aspernentur, sed quandoq; ob-

ruant & exstinguant, vt opus eius omni ex parte impediatur. Licet plerosq; cernere ita iracundię motu efferuescentes, vt vsum rationis amisisse videantur, alios nimio amore ita concitos, vt in insaniam incidisse crederentur. Immutantur enim in tam vehementibus animi perturbationibus corpora, ideo nimirum si ratio tũc nihil agat, sicut nec in somno, nec ebrietate quicquã agere potest. Peccata autem nasci ex ignorantia, illud quoque indicat, (vt ipse quoque vtar sacrarum literarum testimonio) quod Daniel in alterum ex senibus, qui pudicitiam Susannæ attentarunt, eiaculatus est: *Species te* (inquit) *sexex decepit*, quid est hoc? num formosæ mulieris species decipere potest? certe ex se non potest, nisi adiuuetur cupiditate oculorum. Eleganter sane Daniel, qui quod materiam præbet deceptioni, perinde posuit, ac si id ipsum efficeret deceptionem: Verum autem si amare volumus, sua quenque cupiditas ad deceptionem trahit: dum suauia sunt sensibus, prima ducit: posteriora habet,

bet, quæcunque recta ratio, diuinæ & humanæ legis auctoritas mandat. Atque ita se rem habere, ipse quoq; Daniel ostendit. Nam postquam dixerat ad senem illum, *Species te decepit*, subdit, *& concupiscentia subuertit cor tuum*. Num tu aut quisquam alius Daniele sapientior? vt quæ ille censet, reiicere valeamus: censet autem ex deceptione nasci peccatum. Constat sane eum, qui decipitur aliquid ignorare, vnde illa deceptio nascatur: Nemo enim sciens decipitur: Peccata igitur ex ignorantia nasci fatendum est. Nam quod subiecisti deinceps, Alberte, legibus non plecti ignorantiam, sed fraudem duntaxat & dolum: Fateor non puniri ignorantiā legibus, si peccarunt nescientes, quid agerent hi, quibus vsus rationis, vel nondum aduenit, vel ereptus est? quales sunt pupilli nondum proximi pubertati, furiosi, dormientes: hos enim commemorasti. Affectatam autē & supinam & simulatam ignorantiam puniri dico, cum aliquis dat operam ne intelligat, vel ignorare se dicit, quod omnes

norunt, vel fingit se nescire, quod planissime nouit. Item & punitur ignorantia in eo, cuius culpa factum est, vt ignorans delinqueret, hinc punitur ebrius si delinquat, quia in ipso situm erat, ne in ebrietatem incideret. Noli putare, Alberte, leges nostras ignorantiæ esse patronas: non enim hanc omnino prætereunt, sed puniunt sæpe, vt nuper audisti. Illud quoque scito (quod ad rem pertinet) plecti quoque legibus ignorantiam, vbi artifex inscitiæ accusatur. Non enim huic, quæ artis suæ sunt, ignorare conceditur, non auditur, qui profitetur artem, si deinceps ignarum se artis esse dicat, & petat errori veniam. Non enim profiteri & in artificum numero debuit se collocare: similiter si cui munus aliquod iniũgitur, inquirere, inuestigare, scire denique debet, quæ ad implendum illud munus pertinẽt, ni faciat, ignorantiæ reus tenetur, aut mandatũ non suscepisset, si illud erat neglecturus. Et illud est, quod Marcus iaculabatur in principes, quod cum Princeps nomen sit officij & artificij cuius-

cuiuſdam, eius ſcilicet, quod ad regimen populorum pertineret, ſint ipſi in opere proprio negligentes, nec ſciant, ac ne curent quidem ſcire, quæ ſui ſunt officii, ſed temere agant omnia & inconſulte, neglectis diſciplinis, vnde id ſcire poſſunt. Quapropter ignoratio fraudi illis eſſe debet, ab ignoratione autem proficiſcuntur peccata omnia, quemadmodum dictum eſt, quoniam pro bono ſuſcipitur, & amatur id, quod malum eſt, & pro vtili, id quod eſt calamitoſum. Res autem omnis huc tendit, Alberte, vt fraudem vel dolum cenſeatur admittere, qui ſcienter (vt ſic dicam) ignorat. Talis eſt autem ille, qui cum in eius poteſtate poſitũ eſſet, cupiditates animi temerarias ratione repellere, id facere neglexit, ita vt videatur de induſtria nõ verum, ſed apparens & imaginarium bonũ ſequutus fuiſſe. habet quicunque peccat ex ignorantia hoc, ꝙ vana capitur boni ſpecie, nec ferre videt ſua gaudia ventos, & malitia illud, quod ignorãtiam hanc cupiditatibus ſuis reiectis non

repellit, nec curat dicere, quid vere bonum ſit, quidue malum: dum ſeipſum non recte & ordine, ſed intemperãter amat. Ergo & priuatus omnis & magiſtratus, & multo magis Princeps, qui tanto rerum tumori præpoſitus eſt, ſtudeat inprimis, vt boni & mali notitiam aſſequatur, deinde eam animo altius inſerat, agendo aſſidue optima quæque, & in his ſe exercendo. Virtus enim hæc, quæ ad mores ſpectat, non natura generatur in nobis, licet ad eam ſuſcipiendam natura apti ſimus. Comparatur autem vſu, actione & exercitatione, hinc mores ſunt dicti, quod cõſuetudine quædam in nobis procreentur. Sicut enim fabricando fabri (vt aiunt) fimus, similiter agendo iuſta, iuſti efficimur, ſubeundo magno animo formidoloſa, fortes: abſtinẽdo à turpibus voluptatibus, temperati: largiendo liberales. Proficit autẽ in hoc diſciplina, quod oſtendit actiones eas bonas eſſe, & rectas & honeſtas, atque etiam vtiles, & a quocunque, qui rationis cõpos haberi velit ſuſcipiendas: vias præterea

tradit,

tradit, quibus vnumquodque recte & facilius effici potest. Hæc qui studuerit persequi, credo equidem auxiliante Deo fore, vt sibi ipsi & cæteris indies reddatur vtilior: sin aliter, ruet assidue (quantum ego sentio) in peiora. Nemo ab omni virtute confestim deficit, sed paulatim per partes effluit. Nemo repente fit turpissimus, sed certis nequitiæ gradibus ad summa scelera prolabitur. Propone tibi exempla horum principum, qui sceleratissimi exstiterũt: nullus inde cœpit, quo incredibile fuit eos peruenisse: corroborat se ipsam in mino ribus audacia & impudentia: vt inde ad altiora progressus fiat. Specta Neronem, vt huius exemplo vtar, qui modo commemorabatur. Putas ne eum initium scelerum a matris parricidio duxisse? Ille vero antequam huc veniret, & infinitas ciuium cædes fecerat, præceptorem occiderat, fratrẽ, amitam, priuignũ, vxorem necarat: mater restabat: his iam peractis eam posterius aggressus est vt omnẽ improbitatem impleret. Doctrina autem fi-

eri poteſt, vt Princeps hanc ſequens, putet ſibi omnia tempora obſeruanda: ne peccet etiam in minimis, quoniam qui ab his tẽperarit, ſibi aditum quodammodo obſtruxit in maiora irruenda. Hæc habui, Alberte, quæ dicerem ad obiecta tua: quæ ſi non diſplicent, ſatis eſt: ſin autem nondum illa repulſa opinaris, hortor vt rem totam & nobiſcum & cum aliis diligentius conſideremus. ALB. Non alia opus [illegible] conſideratione, Baptiſta. Rem ipſam, quæ venerat in contentionem dilucide explicaſti: & tam firmiter & veraciter, vt iam nemini dubia eſſe poſſit. Si quid autem aliud dicendum eſt, quod minime fuerit diſcuſſum, id aggrediamur. MAR. Nondum deeſſe nobis exiſtimas, quid dicamus, & recte fortaſſe. Suggeruntur enim mihi quædam, & a quo mihi ſuggerantur non video, quæ non abhorrent a propoſita quæſtione. ALB. Effundas ea licet, poſtquam venam ingenii adhuc ſcaturientẽ in te ſentis. MAR. Faciam, vt te velle video. Veruntamen conquieſcere pauliſper, & veluti

me i-

meipsum colligere decreui, tanquam longo iam fessus itinere: Deinceps reliquo sermoni dabimus operam. ALB. vt videtur.

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS,

De Principum Doctrina, Liber septimus.

MARCVS.

SVperioribus sermonibus, Alberte, ostendimus, quæ & quanta sit in principibus fere omnibus inscitia, & quantam hæc, tum illis, tum populis, quib. regendis præpositi sunt, afferat calamitatẽ, & ne quis bonarũ artium hostis obiicere posset, id nos inaudita parte censuisse, exstitisti tu, Alberte, qui aduersariorum partes susciperes, atque proponeres, quibus illi caussam suam protegere solent, idq; tuum factum nõ molestiã nobis attulit vllam, Verum etiam ingentem voluptatem. Non enim nunc possunt illi nobis obiicere, ꝙ quicunq; statuit aliquid inaudita parte, tametsi æquũ statuerit,

ipse minime est æquus. Nos contraria audiuimus, te huic rei operam dante. Ea quam leuia essent & inania, patefactum est sermone meo , & fratris. Quid igitur his addi potest? Illud vt opinor : Ego etsi turpium facinorum caussam ascribam omnino ipsis Principibus, qui ea admiserunt : non tamen ab omni culpa defendo populos. Alb. Quomodo id dicis? aut quare ita tibi videtur? Mar. Quoniam credo ego populorũ peccata promereri, vt ab omni humanitate & doctrina alieni viri dominentur, gerantq; se (vt consentaneũ est efferis eorũ moribus) aspere & truculenter : vidente, quæ fiunt, diuino numine, & ea fieri concedente. Nam vbi in malos seruos datus est peior dominus, dignum (vt aiunt) patella operculum : & quod de Asino carduos tondente dictum est, similes habent labra lactucas. An non vides, quid in sacris voluminibus minetur Deus Iudæorum populo ob eius nefaria scelera? Te enim illis in rebus nemo peritior: Meméto quid illic sæpe legeris. Alb. Memini : Minatur illis

illis pueros & hypocritas, & facinorosos reges. MAR. Cur hoc? num ob Iudaici populi sanctitatem, an ob scelera? ALB. Ridiculum est dicere ob sanctitaté. Nemo enim bonus bonis mala minitatur. MAR. Ob scelera ergo? ALB. Manifestum id quidem. MAR. Tyrannos igitur immittit sæpe Deus in populos, vt eorum puniat nequitiam, & contundat superbiam, & coerceat intemperantiam. Neque inficiari hoc potest quisquam: quoniam Deus, qui prophetarum ore loquebatur, nescit fallere aut mentiri. Dasne mihi hoc esse verum? aut quæris maiora testimonia, quam diuina? ALB. Minime: do quod vis, nec datum vnquam reuocabo. MAR. Quid si doceo falsos gentium Deos eadem protulisse? Erant illi quidem impurissimi Dæmones; verumtamen vera multa pronunciabant: seu, quia id facerent imperio maioris potestatis coacti: seu vt simulata virtute fallerent deinceps mercede maiori in studio veræ religionis. ALB. Quid est igitur illud, quod isti hac in re pronuntia-

uerunt? Mar. Audies: Aegyptiis Reges ſemper exſtitiſſe cõſtat: cum vero iam plures regnaſſent, & ad Mycerinum quẽdam regnum perueniſſet, ex vrbe Buti redditum ferunt oraculum, ſore, vt ſex omnino annos viueret, ſeptimo exſtingueretur. Ipſum id ægre ferentem miſiſſe ad oraculum querimoniam huiuſmodi: ꝙ cum pater ſuus patruuſq; qui Deorũ immortalium cõtemtores fuiſſent, templaq; claudi iuſſiſſent, infinitoſq; præterea homines perdidiſſent, tãdiu vixiſſent, ipſe pie faciens tam cito vitam finiret: reſponſum ab oraculo remiſſum, ob hoc propere exſtinctum iri, quod pius eſſet, nec faceret ꝙ fieri oporteret. Oportere autẽ cẽtũ quinquaginta annos Aegyptios affligi: idq; duos, qui ante ſe fuiſſent Reges, didiciſſe: ipſum vero nequaquam. Hęc de Herodoto. Plutarchus vero in libello, quem de Sera Deorum vltione inſcripſit, refert de Sicyoniis, cum impia quædam & ſcelerata egiſſent in Athletarum certamine Pythiis, reſpondiſſe Deum, Sicyonios flagellatoribus indigere.

Nec

Nec multo post exortos Sicyone Tyrannos, alium alio nequiorem, quo corruptos eorum mores ab omni intemperantia purgarũt, Orthogoram, Myronem, Clisthenem. Simile dicit fuisse pharmacum Agrigentinis Phalarim, Romanis Marium. Vides veterum quoque Deorum testimonio dari in populos efferos & immites Tyrannos: qui suis vtentes moribus irruant quolibet: & cędibus, exiliis, vinculis, verberibus, expilationibus, rapinis humiliores reddant populos & modestiores: nec conqueri illi iure possunt, quod Tyrannicam potestatem experiantur: vltricem scelerum moderatricem flagitiorum. Sed quid etiam bonus & egregius faciat Princeps, vbi in populi corruptos inciderit mores? Neminem quidem ille lædet bonum: nemini erit iniuria grauis: mitior etiam erit in pœnis, sed tamen illum quoque oportebit multitudinis improbitatem aliquo pharmaco coercere: aspero quidem & tristi: verumtamen salutari & necessario. At nec pœnarum timor eximitur

ſub bono principe : ſed hoc bonus prę̨ſtat Princeps, quod non ipſe, quod non leges timentur: quanquam ne hę̨ quidem timeantur ab illis, qui ſecundum ipſas viuere decreuerunt. Neminem enim leges offendunt, niſi eos, a quibus ipſæ prius offenduntur. Melior ſane fuit conditio vetuſtiſſimorum illorum Regum, qui ab initio humani generis exſtiterunt : facilior tunc offerebat ſe imperii adminiſtrandi ratio : propterea quod homines tunc ſponte ſua ius & æquum colebant:

Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.
Nullus erat iuſtis reddere iura labor:

Vt elegantiſſime cecinit Pelignus poeta. Erant illorum quidem temporum aurei (vt poetice loquar) homines, quib. nō multo poſt ſucceſſerunt argentei, hoc eſt, non tam laudabiles, quam prius fuerant, attamen tolerabiles. Nunc in ferrea hac ætate aduerſus dolos, fraudes, inſidias, ſcelera multorum magna proponitur bono principi luctatio: adeo vt ad hæc ſuperanda

randa vi ſit opus, & cædibus: & nonnunquam & eiectionibus purganda ciuitas, periti Medici more, qui abſcindit, exurit, aufert, quo reliquo corpori bona valetudo ſeruetur. ALB. Aurea ſemper efflorefcet ætas, Marce, vbicunque bonus populis præfuerit Princeps. Nam illa improborum coercitio, tametſi non ſit optabilis, affert tamen pulcritudinem quandam (vt a te aliquando eſt dictum) dũ culpæ pœna æqua rependitur. Nihil tam par eſt, quam vt qui dolo vitam eripuerit alteri, amittat ſuam: qui alterum iniuria verberarit, ipſe quoque verberibus ſubiiciatur: qui pauperiem alicui intulerit, pauperie ipſe efficiatur, damnum reſarciendo & fiſco tantundem pecuniæ inferendo. Hoc ſequuti ſunt veteres illi duo Heroes eximiæ fortitudinis nomine inſignes Hercules & Theſeus. Illi namque cum terrarum orbem a monſtris pacare vellent, non ſatis habuerunt famoſos latrones tollere: ſed hoc iuſtitiæ, hoc gloriæ ſuæ conuenire exiſtimabant, eodẽ pœnæ genere eos affligere, quo

ipsi antea alios afflixissent. Quamobrem Hercules Diomedem Thracem, qui pascere humana carne equos solebat, eisdē equis pro pabulo proiecit: Antæum Lybicū, qui luctando viatores necabat, eodē palestræ genere interemit: Busiridem Ægyptiū, qui hospites immolare solebat, victimam fecit. Traditū est etiā de Termero quodam, qui cunctos, qui in se inciderāt, verberibus capitis ad mortem adigebat, hunc quoq; Hercules multis percussionibus in caput illatis peremit. Eodē exemplo, eademque animi magnitudine pditus Theseus, Scyronē, Procustē, Sinnim obsessores viarum, vltus est. Nā quæ aliis excogitauerant supplicia, in ipsos conuertit: quæcunque fecerant impii isti & facinorosi, eadem a viro omnium fortissimo & generosissimo retulerunt.

——Neque enim lex iustior vlla est,
Quam necis artifices morte perire sua.

Intelligere potes, Alberte, ex sacris quoque literis, hæc supplicia Deo placuisse. Nam in iudicum libro legitur, quod cū Hebræi aduersus Cananeos

Phera-

Pheraceosque pugnassent, & vtrosq; prostrauissent, Ducem eorum Adonibezehum fugiëtem persequuti apprehenderunt, eiq; summitates manuum ac pedum absciderunt, quod vbi factum est, dixisse fertur ille: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatib. colligebant sub mensa mea ciborũ reliquias: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Deniq; nihil æque conuenit, q̃ malos male perire, & exẽplo in vulgus edere, ne quis posthac eos in scelere imitari velit. Quamobrem nihil est quod horreas, Marce, suppliciorum acerbitatẽ. Nã hæc in malos sub bono Principe grata sunt: & quã pulcrum iustitiæ bonum sit, ostendunt: cuius magna pars est sontes punire. Rogandus est, quantum fieri potest, summus & æternus Deus, vt caritate sua illa ingenti & misericordia omnibus nota det bonos Principes: id si fecerit, o beatos populos! aurea reducetur ætas seculo illis dominantibus. Id quod etiam Domitian⁹ crudelitate inter Cæsares famosus pene vidit, sed per somnium. Nam cũ somniasset gibbã auream sibi

post ceruicem enatã, ex eo interpretatus est beatiorem post se lętioremq; portendi Reipub. statum, quod etiam euenit: non victoriis aut auctis imperii finibus, sed præstanti virtute subsequentium Principũ, qui moderatius imperarent. Mar. Auream mihi videris, Alberte, ætatem somniare non minus, quam Domitianus: ego certe ad senectutem vsq; (Deo bene fauente) progressus, nusquam oculis eam meis vidi vigilantibus: effigiem tantum quandã cernimus animo, re non tenemus: nusquam adest, nec aderit (vt opinor) in vniuersum, quoniam si Euangelio credimus, cui credendum est omnino, deteriora erunt nouissima prioribus. Nisi fortasse libeat tibi, Alberte, auream vocare ætatẽ, quemadmodũ vocat Poeta quidam, cuius illa sunt carmina:

Aurea nũc vere est ætas: nam plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Si ita accipimis, nobis quoq; nunc ætas floret aurea: nam plurimũ nunc aurum honoratur: vel auream nunc possumus vocare ætatem, ab auri copia,

pia, quam nouo & inaudito hactenus more ab Indis vſque ſub alio cœli axe poſitis Hiſpanorum Luſitanorumq; claſſes in Europã, ad ſuos portus propriaque litora deuehunt: ſic quoque nunc nata fuerit aurea ætas. ALB. Etſi, Marce, te ludere video, mihi tamen vere hoc aureum videtur opus, quod nuper Hiſpani geſſerunt. Illi namque Indos tam procul a nobis iacentes inuenerunt, per inacceſſum olim Oceanum vela dantes relicta Arcto, ignotum cœlum, ignotaque ſequentes ſydera. Terminus olim poſitus fuit nauigationibus: vltra quẽ progrediebat̃ nemo. Hi primi ſpretis limitibus claſſem nouis littoribus applicuerũt, magnumque fuit alias gentes nationeſq; inuiſere, quas nulla nobis vox, nulla fama notas fecerat. MAR. Cur non inueniſſe potius dicis, cum non modo, quæ eſſent, ſed nũ vllæ eſſent gentes, ignoraretur? ALB. Fateor inueniſſe, & hoc eſt in quo magnopere gloriantur. MAR. Hoc quod magnum exiſtimas, Alberte, negligunt Hiſpani: non enim tam gloriantur, ꝙ

gentes inuenerunt nouas, quam quod inuenerunt aureas. Nam exportato auro, ex aureis reddiderunt argenteas, rursus ex argenteis reddent, si videbitur, æneas. Sed omittamus quæso aurum istud Indicũ, q; nemo nostrum vidit aut attigit: redeamus ad illud, de quo nobis propositus fuit sermo: & videamus quantam afferat doctrina in principe sibi & populis felicitatem: & e conuerso, quantã inuehat vtrisq; cladem inscitia. Alb. De hoc iã tam multa dicta sunt, vt si quis alius hanc vnquam sibi sumsit materiã ad dicendũ, nihil dixisse, aut inuenisse possit videri. Sed perge porro, postquã adhuc aliquid addendũ putas, vt cumulatior reddatur sermo & perfectior. Mar. Omnis labor meus in eo versatur, vt ostendam (si modo id assequi valeo) Principũ scelera ab ignoratione proficisci: dũ sectãtur vt vtile, quod noxium est: vt bonum, quod est pessimum: quod sane ignorationis genus deterrimum est, dum putat aliquis scire, quod nescit. Nam sic affectus difficilime corrigitur: iam enim scientiæ opinio-

opinione elatus non audit contraria suadentem. Vbi autem quispiam simpliciter quid nescit, & sentit se nescire: potest sciscitãs ipse, vel ab alio admonitus, verum cernere, idque amplecti, & melius agere: sed non is, qui suasit, sibi aliquid iam notum esse, nec errare se putat.

Regia res scelus est socero cape regna necato:

Vox hæc Tarquiniæ est nobili poetæ versu expressa. Dici vix potest, quanta sit parricidii labes, quã immane sit facinus vitam eripere ei, a quo ipse susceperis, & pro quo mori honestum esset: attamen hæc mulier viro illud mandauit: quin etiam per interfecti corpus patris carpentum egisse dicitur: nec illud suadens consulere sibi male existimabat, sed optime; quoniam se per id ad regnũ peruenturam videbat, sicut postea peruenit. Num verum nouit? Minime: imo errore, inscitia, cæcitate mentis in id prolapsa est, dũ bonũ summũ putat regnare, etiamsi scelere ad id perueniatur. Falsum id quidem: Est enim

maius innocentiæ bonum, quam vllæ regiæ opes; præponderat mansuetudo, humanitas, clementia, pietas omnibus Imperiis. Non igitur proiicere hæc debuit, vt illa acquireret, nec proiecisset, nisi quod errabat, & rerũ pondera non tenebat. Sed quid hæc? Indicat ipsa se ignorare, dum inquit, *Regia res scelus est*. Quis non perspiciat, vel lippientibus oculis hanc ignorantiæ esse vocem? Ita ne vero res regia scelus est? Imo quidlibet aliud est potius Regium, quã scelus. Reges enim proditi & inuenti sunt ea maxime de caussa, vt ius valeret: id est, ne scelus fuit, hæc autem opinatur ad Regem id pertinere, quod, vt ne sit, ipsi Reges constituti sunt, sed Regium quoque ipsum nomen eius aduersatur sententiæ. Rex enim a regendo dictus, quomodo autem regit, si labitur in vitia? si nocet scelere? Regula autem ista, qua vtũtur Architecti, sicut affine regi possidet nomen, ita quadam etiam officij societate iungitur Regi: nam rectitudine summa pollens ipsa, dirigit inferiora opera, & efficit (vt ita lo-

quar)

quar) iuſtiora & meliora, non igitur alienũ erit huius exemplo admonere reges, quales eos eſſe deceat. Quemadmodum igitur regulam rectitudine pręſtare oportet, quia cetera, vt recta ſint, efficit: ſic par eſt, vt Reges p̄beāt ſe rectiſſimos, ſi modo, vt eorum congruit officio, ceteros mortales dirigere, & æquitatem in his inducere velint, & vt rectitudo conuenit regulæ & Regi, ita obliquitas, vitium in vtroque, ſed eo maius in Rege vitium, quo maiora illi regenda cõmiſſa ſunt. Si obliquitatē igitur ponimus in ſcelere, rectitudinem in virtute, non eſt regia res ſcelus, ſed virtus. Falſum igitur hoc: Regia res ſcelus eſt. Item falſum illud:

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Capitalis (inquit Cicero) Eteocles vel Euripides potius, qui id vnum ſolum, quod omnium fuerat ſceleratiſſimum, exceperit. Occæcat in his animos falſa vtilitatis ſpecies, cũ regnum adipiſci quolibet ſcelere vtile putat, innoxiũ id profecto, cum nemini ex-

pediat delinquere, nō modo regni alicuius adipiſcendi gratia, ſed ne ipſi poſſit quidē cœlo & ſideribus, cunctis deniq; animatis atq; inanimatis imperare. Errauit ergo Tarquinia, dum patris interitu aditum ſibi ad regnum comparauit. Simili errore ductus Antonius Baſtian⁹, de quo antea dictum eſt, cui, cum occultæ inſidiæ, quas ad Getam fratrē conſortē Imperij ſtruxerat, parum procederent, vi tādem aggreſſus hominem ſuis manib. peremit. Vtilius enim ei videbatur ſolum imperare, occiſo fratre, quā eo incolumi habere alterum imperij ſocium: nec videbat ille magis eſſe noxiū contaminare ſe parricidio, quam proficuum augeri imperio, & tamē in illo ſuo errore quærebat anſam tegendi facinoris. Nam iram timens militum, ſtatim in caſtra profectus eſt, gladiū diſtrictum tenens adhuc cruentum, ſimilis attonito: multiſque concurrentib. ſciſcitantibuſq; quid rei eſſet, magnum periculum euaſiſſe dicebat: vix viuum effugiſſe: Deorum factum in ſe beneuolentia, vt e duobus Imperatori-

fatoribus vnus ipſe ſupereſſet, cum tam ambiguo & perplexo ſermone vteretur: rem magis intelligi, quam ipſe exponere malebat. Deinde ſequentibus diebus multa in ſenatu, & in populi concione attulit, vt dilueret crimen, iam fratrem palam accuſans, & id agens, vt non vim intuliſſe, ſed repuliſſe videret. Vix enim quiſquam reperitur, qui facinori ſuo aliquam iuris defenſionem non obtendat, vt infamiæ effugiat notam, & ceteris minus diſpliceat. Eadem cauſſa eſt Romuli, qui Remum fratrem ſuſtulit, vt ſolus potiretur regno, & tamen muri tranſgreſſionem hic ei oppoſuit, cauſſam afferens (vt ait Cicero) nec probabilē, nec ſatis idoneam. Hoc perſpiciens Poeta illa protulit Muſis omnibus approbantibus:

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.——

Scribit Plutarchus in Demetrij vita eos, qui Alexandro Magno in Imperio ſucceſſerunt, habuiſſe hoc

præcipuũ, vt fratres tollerent. Quemadmodum (inquit) Geometræ petunt ab auditoribus concedi ſibi quædam, quæ probare nequeunt, vt reliqua deinceps perſequantur, ſic illi putabant concedendum ſibi ab omnibus, communi quodam regio iure, vt ſtabiliendi regni cauſſa fratres occidere liceret. Tanta eſt libido regnandi, vt diuina & humana iura omnia permiſceat, & vſurpare videatur veluti conceſſa precario, ſeu per præuaricationem quandam, quæ neutiquã conceduntur. Herodes Aſcalonita, qui externorum primus Hieroſolymæ regnauit, filios etiam occidit, in quem illud Auguſti, malle ſe Herodis eſſe porcũ, quam filium: Iudæos enim ſuilla abſtinere notiſſimũ eſt. Hic eſt ille Herodes, qui multa puerorum millia infra bimatum interfecit, quod Chriſtus in lege promiſſus diceretur eſſe natus, ſicut Euangelica prodit lectio, & Philo Hebræus de temporibus, & Macrobius ſecundo Saturnaliũ meminit. Vetera exempla colligo, quia recentia proferre nimis odioſum eſ-

ſet,

ſet, nec arbitror tutũ, vbi ſermonem hunc noſtrum foras efferri contingeret. Etenim in mortuos, quorum tantum exſtat memoria nominis, quiduis licet: viuentibus & iis qui paulo ſupra hanc ætatem exſtiterunt parci etiam humanitas poſtulat. ALB. Tu vero, Marce, perge, vt cœpiſti: nam his exemplis contenti ſumus, quibus vteris. Non enim, ſicut in veſtibus plurimum refert, vetuſtis an nouis vtaris: ſic & in exemplis. Nam quantum attinet ad rei demonſtrationem, idem poſſunt vetera, quod noua, imo vetera potiora, quia vulgo ſunt magis nota, & de his minus ambigi ſolet, vt de quibus multorum literis commemoratum ſit. MAR. Ego, Alberte, quæcunque dixi nuper, duorũ cauſſa expoſui: Primum vt docerem ſcelera Principum ab ignoratione proficiſci, quæ tamen ſapientia illis videtur. Deinde, vt intelligatur non eſſe nouam hanc vocem, ſed iampridẽ iactatam, ſcelera Regibus conuenire, tametſi non his verbis efferant (vt opinor) hi qui illis aſſentantur, ſed alio cautiore

vtentes ſermone, occultato ſceleris nomine & virtutis vtcunq; inducto, aiunt omnia honeſta eſſe regib. Quod tamen cum Antigonus Macedonum Rex a quodã audiſſet, accepit dictum pro barbaris Regibus; nam nobis inquit ſola honeſta ſunt honeſta: ſola iuſta ſunt iuſta. Demetrius Rex huius Antigoni fuit filius: Is cum præſidiis Ptolemæi Regis deiectis, Athenas liberaſſet, & ſuis vti legib. voluiſſet, effuderũt in eũ Athenienſes immenſos honores, & Diis pene æquarunt, ſummis adulationibus vtentes. Illud vero intolerandum, q̃ ſtatuerunt, vt quodcunq; Demetri⁹ poſtulaſſet, id & Diis ſanctũ, & hominibus iuſtũ videretur. Eſt penes Herodotũ de Cambyſe Cyri filio Perſarum Rege: quod cum ſororem eiſdem parentib. genitam cuperet ducere, nec id tamẽ inter Perſas fieri videret, interrogauit Iudices Regios, quos in cõſilio adhibere ſolebat: ecqua lex in Perſis ſit, q̃ permittat ſororẽ fratri nubere: nam ſe cupere matrimonium ſororis, viderẽt ergo quid liceret. Illi adhibita multa delibera-

tione

tione, quid sibi faciendum esset, cum hinc ius gentiũ, & naturalis ratio adesset, illinc cupiditas Regis obstaret: tandem referunt, nullam inueniri legem, quę id permitteret, quãdam tamen esse legem, qua concederetur Persarũ Regi facere, quicquid vellet. Huius legis auctoritate fretus Cambyses sororem (vt cupiebat) duxit: & sapienter illi iudices fecisse existimati sunt: quod & verum retulerunt, illud scilicet, non licere: & ne ipsi perirent, si cupiditatem regis refutarent, legem aliam suppeditauerunt, qua vni illi id licere ostenderet. Haud dissimile factum Seleuci, Siriæ, Asiæque Regis, qui cum Stratonicem, quam vxorẽ habuerat, amanti Antiocho filio vellet concedere, si mulier re insoluta pterrita repugnaret, mittendũ amicos dixit & familiares, qui eã doceant & psuadeant, quæcunq; vtilia visa sunt regi, eadẽ iusta & honesta esse: nec ita multo post Antiocho & Stratonice superioris Asiæ regib. declaratis, nuptiæ ingẽti apparatu, summaq; rerum magnificentia celebratæ sunt, festaq;

illa haberi debet, ac si nominatim expresse lege excepta fuisset. Non enim potest legislator humanas quascunq; actiones, & quæcunq; eas præcurrunt, comitãtur, subsequuntur, lege cõplecti: prouidet tamen, vt põt, genera earum attingendo, accidit tamẽ, vt q̃ in vniuerso genere ꝓbatur, id in specie quadã repudietur: Veluti depositam reddere pecuniã, bonæ fidei cõgruit, & iustissimum est, & morib. gentium receptissimum, & eius rei caussa actio ciuilis constituta in eum, qui reddere recusat: sed quid si reus capitalis iudicii deponat penes me pecuniã, deinceps damnetur, & bona eius publicẽtur: num ei reddam repetẽti, an in publicum deferã? Et magis est vt in publicum deferre debeam. Nam qui de rep. male est meritus, vt exẽplo suo alios a maleficiis deterreat, egestate laborare debet. Similiter si latro viatoris spolia ad me insciũ detulerit, eaq; deposuerit, nõne reddam potius, vbi resciero, Domino flagitãti, quã latroni? nam etsi bona fides hoc exigat, vt fideicommissam rem is recipiat, qui dedit,

dedit, tamen si q; gestum est contemplemur, iustitiæ potius cõuenit, vt domino suo reddantur, q̃ latroni, qui ea sceleratissime ademit. Hęc & his similia faciũt, vt legi liceat derogare: quãdo si lex seruaretur, id sententiæ legis repugnaret, & æquitas suadet, vt tunc aliter, quã lege dispositũ sit, statuatur. Multa enim arbitrio magistratuum reseruat legislator, in quib. vult posse a legis scripto discedi, vbi scilic. ea occurrit species, q̃ æquitate sua legis sanctione sit potẽtior. Cũ Philip. Macedonũ Rex ingẽti p̃lio Athenienses & socios in Chęronea ꝓfligasset: libertasq; non solũ Atheniensiũ, sed totius fere Græciæ in sum̃um adducta esset discrimẽ, suasit Hypęrides vnus Rhetorum populo, vt decretum faceret, quo & incolę ciuitate, & serui libertate donarẽtur, suasit insuper, vt vrbem munirent, sacra & coniuges cum liberis in *Pirræa* deportarent. Decreto facto adductus in iudicium, & accusatus, q; vno decreto in eius sententiam lato multas leges sustulisset, respondisse fertur: Tantum tenebrarum inuexerant tunc Macedonum arma, vt

leges inſpicere non potuerim. Non ego ſcripſi decretum illud, ſed pugna ea, quam in Chæronea pugnauimus. Sic vir ſapiens cenſuit a legibus diſcedendum, vbi eas ſeruari perniciosum eſſet. Multa vno tempore ſunt honeſta & vtilia, quæ alio commutatis rebus, nec honeſta ſunt, nec vtilia. Iſta ſunt, Alberte, (ne Iuriſconſultos poſthac laceſſas) in quę poteſtas datur Principi, vt leges temperet vniuerſas, prout populi cõmodum, ſubiectorum vtilitas, & cauſſarum merita requirant. Debet populus obtemperare legibus, leges populi ſeruire commodis. Nõ poſſunt vna linea circumſcribi omnia, nec vna incommutabilis eſſe regula in magna ac prope infinita rerum, temporum, locorum, perſonarum varietate: ſatis eſt legumlatori, ſi leges tulerit, quam plurima complectentes, & quantum fieri poteſt, optimas: minutatim autem & ſigillatim inſiſtere, etſi cupiat, non poteſt, quia id ſupra hominis eſt vires, ideo a legibus ſuis aliquid excipi facile patitur, tolli etiam & abrogari nõ renuit.

nuit. Intelligit enim ſe & mortalem, & mortales leges tuliſſe, vt quas non ſemper fixas inconcuſſaſque manere oporteat, ſed ſæpius ad varios & incõſtantes rerum motus expediat commutari. Iſtud eſt quod dicitur, Principem ſupra leges eſſe, non quia pro libidine ſua euertere eas debeat & cõmutare, ſed ita ſi e re populi eſſe cenſuerit, eadem quoq; poteſtas plerunque competit iudicibus. Nam ſi quoque poſſunt interp̃tatione leges mollire, vbicunque æquitate ſuadente id fieri debere cognouerint. Et hoc quidem tẽpore iudicii ſi fecerint, ratum eſt. Nam rem iam iudicatam reſcindere nõ permittitur, etiamſi tale quid emerſerit, quod antea ignorarint, & quod ſi in iudicio patefactum fuiſſet, aliter iudicaſſent, ſolus tunc Princeps re perſpecta ſententiam iudicum retractabit, & aliam proferet iuſtiorem. Sed vt de iudicum poteſtate in legum interpretatione dicere omittam, & ad Principes reuertar: diſpẽſatio legum credita eſt Principibus, nõ diſſipatio: tunc enim diſpenſat Princeps, cum

bent, nisi sanctũ, syncerũ, integrum, honestum: addo etiam nisi vtile: tametsi sæpius vtilitas latet initio, sed in exitu seipsam ostendit: quicunq; autem principes literarum sunt rudes, fieri potest diuina quadam fortuna, vt imperium recte administrent: metuendum tamen est, ne cupiditatibus suis pareant: & in illicita omnia & nefaria ferantur: & eo magis, quo maius Imperium, quia latiorem vim nocendi nacta est libido. Nemo priuatus, imo ne plures quidã priuati in vnum simul coniecti, tantum nocuerunt, quantum vnus nocuit Nero; quantum Claudius, Caligula, Domitianus, Commodus, Bassianus, Maximinus, Carinus, Licinius, & si quę huiusmodi pestes in imperio fuerunt: nullum a doctrina repagulum aduersus effrenes libidines, nullũ ab honestis studiis aduersus assentatorum voces habebant. Itaque tot numero & tam immẽsa magnitudine flagitia ediderunt, vt horreat animus ea cogitare. Quid dicam animum impurum fuisse, cum corporis nulla pars a flagitio vacaret?

vacaret? Quem diem excipiam, cum omni fere hora aliquid fieret ſceleratum. Quid memorem ciuium vitam exſtinxiſſe, quaſi domeſticis pepercerint? Inquinati ſunt dedecore, turpitudine, peccato: pudet referre, quam leuibus ex cauſſis homines ex omni ordine ad necem traherentur: vrgebant maieſtatis iudicia, non ſolum ob factum, ſed ob quodlibet dictum: quidam etiam quod inſomnia Principi improſpera vidiſſent, exſtincti ſunt. Alii quod geneſin Imperatoriam habere dicerentur, vel quod de vita & ſalute Principis mathematicos conſuluiſſent, necabātur. Nonnullis crimini fuit, quod heredem inſtituerant principem, & adhuc ſuperuiuerent: Fœminæ, quæ de vi, de ſiccariis repetundarum Reip. oppugnatæ, incuſari non poterant, ob lacrymas damnabantur: obiiciebatur enim, quod perduelis cuiuſpiam necem defleuiſſent. At hi Imperatores, quos modo retuli, plures imperitarunt annos, vt potuerint ſæua multa patrare. At Aulus Vitellius, cum paucos menſes po-

tius esset Imperio, tam multos exstinxit, vt credi possit, diutius Imperasse. Inter cætera illud egregiũ, q; cum in ipsa salutatione inimicũ suum quendam ad supplicium duci mandasset, moxque reuocasset, & se adduci iussisset: cunctis qui aderant, id fieri censentibus, vt misero illi parceretur, & iam clementiam eius laudantibus: coram iugulari imperauit, velle, dicens, oculos suos pascere. Huic non satis fuit gulosissimæ fuisse vitæ: nisi etiam crudelitatem pro cibo haberet. Quicunq; horũ principũ gesta legerit, facile intelliget, nihil esse truculentius suprema potestate: vbi neminem metuit, neminẽ veret̃: nulli referre gestorum rationes obnoxia est: multumq; animo perspexisse is videtur, qui Lacedæmone Rempub. olim legibus temperauit. Nam cum videret regiam potestatem de nimia licentia intumescentem, eam coercuit Ephoris additis, qui supra Reges essent: & qui cohiberent, atque etiam pœnis afficerent, si delinquerent, & contra morem aliquid molirentur.

Nec

Nec alia ratione Romæ quondã oppositi Cõsulibus Tribuni: quã vt adimerẽt illis iniurię faciendę potestatẽ. Isti autẽ, qui secũdũ genus amplissima suscipiunt Imperia, quę legitima censent: ꝙ mos ea patrius permittit: nolũt se subiici alteri: recusant certi alicuius magistratus animaduersionem, tãquã equestre frenũ recipere. At iuris, æquitatis rationis in eos sunt vincula, æternæ legis instituto imposita. Ita est, sed ea facile perrũpunt principes: nisi, si quis eorũ bonis imbuere se ipsum studeat moribus, eosq; salutiferę doctrinę pręceptis muniat atq; stabiliat aduersus superbiã & luxũ, quæ duo maxima mala principatus spõte sua secũ afferre solet. Nemo autẽ existimet felicitatem assequi se peccatis. Nullũ enim peccatũ sine pœna: primũ in ipso peccato maxima pœna est; per ꝙ ipsum exuit homo se ratione & beluę induit imaginẽ, deinde ne externę hę quidẽ pœnę deficiũt. Deduxi in mediũ Caligulam, Neronẽ, Domitianum Cæsares, qui sceleratissime imperitarunt, sed nõ id illis cessit impune. Nã quas in vita pro his repẽde-

rint pœnas, notissimum est: nec quantas nunc post mortem pendant, arbitror ignorari. Est ne quisquam, qui horum Imperatorum, quos modo memoraui, dicat quenquam doctum fuisse? Nemo dicit: rudes enim magnarum artium fuerunt. Sed demus vidisse illos stellarum numerum; nouisse omnium animantium linguas; quod de quibusdam fabulose proditum fuit: demum tenuisse cunctarum rerum originem, progressionem, terminũ: tamen cũ tam multa ediderint sæua contra doctrinam præceptaque sapientum, pro doctis non haberem: sicut nec ꝓ philosophis: idq; mihi cũ Platone cõmune est, qui sentẽtia philosopho sua tradidit Reip. gubernacula, sed ei philosopho, nõ ꝗ detritus sit in naturalibus, Dialecticis & Mathematicis, & ꝗ valeat qualibet de re argutissime disputare, sed qui animũ habeat imbutũ veris de honesto vtilique opinionibus & cũctis prauis affectib. superiorem. Hunc quem philosophum Plato, ego doctum voco: & recte quidem; quando alterum alteri
inest

inest. Nam nec sine doctrina est philosophus; nec sine philosophia doctus esse quisquam potest. ALB. Nescio an Gothici nominis auctoritas penes nos quicquam valeat. MAR. Quid ita narras? ALB. Quia aiunt hoc Gothorum institutum fuisse, ne rex eorum literis imbueretur: propterea quod studiis literarum frangi fortitudinē, remollescere animos & effæminari arbitrarentur. MAR. O inscitiam Barbaricam & vere Gothicam! ALB. Sciebam iam dudum, quod ita iudicares: ac babaros homines inscitiæ damnares. Attamen ad id quod debilitati animi vim ac robur literarū studiis existimant, a te dicendum est aliquid. MAR. Quid? cū barbaris hominibus censes disputādum, præsertim his, qui iā non exstāt? ALB. Non ad Gothos respicio ego, qui iam sunt nulli: sed ad quosdā alios non minus ingenio barbaros & feroces, qui eadē forsitan, quæ Gothi, cēsent. Vbi Gothos ratione fregeris, omnes illarum partium & artiū fregisse putato. Aggredere igitur, & veram aduersus

Gothicos homines defende sententiam, &, vt cœpisti literarum patronus esto. Mar. Aiunt isti literarum studiis eneruari mentis vires: ideo interdicta esse Regi studia literarum: quasi Rex ad vnam tantum respicere fortitudinem debeat, & non ad reliquas quoque virtutes, maximeque ad iustitiam & temperantiã: aut quasi non liceat fortem esse sine rabie ac furore. Apparet profecto istos, vt Gothos, nescisse quid sit fortitudo. Fortitudo enim nihil aliud est, quam stabile & constans mentis iudicium: quo impellit animus ad durissima quæq; subeunda & sustẽtãda ꝓpter honestatẽ: hoc iudiciũ nõ eripiunt literæ: sed cõtra pariunt, nutriũt, stabiliũt, tuentur. Quamobrẽ nõ sunt impedimẽto fortitudini, si quidẽ sunt adiumento: nec si eædẽ modestiã & mansuetudinẽ præcipiunt, ideo quicquã detrahitur de fortitudine: nec fortitudo maior adiuncta feritate & immanitate. Hoc sic intelligi potest. Fuerunt olim gẽtes nõnullæ circa Pontũ & Siciliam aliisq; in regionibus vsq; adeo efferæ

& imma-

&immanes, vt carnibus vescerentur humanis, & omnia cruda vorarẽt, non tamen eas constat ceteris fortitudine pstitisse, & latos imperii fines habuisse: quin cẽsendum est timidos potius exstitisse, quod nõ aperte pugnabant, sed clanculũ, & ex insidiis latrocinabantur. At contra nunc spectemus: Nulli Romanis humaniores, nulli fortiores, q efferas nationes multas armis obtinuerũt, & eas legibus datis coercuerũt, & dicto sibi audiẽtes esse coegerũt. Qui Lacedæmoniis, Atheniẽsibus, & omnib. Græcis in omne humanitatis genus proniores: ab iis iura legesq; ortæ, omnis elegãs cultus & victus, omnis liberalis doctrina pcessit, idẽ manu strenui & fortes fuerunt; & quodã tẽpore bellica laude floruerũt. Quot pericula, & quanta ab externis illata gentib. audacissime repulerunt? Quoties paruis copiis ingentium Barbarorum multitudinẽ fuderunt & afflixerũt? Lege res gestas Græcorũ penes Xenophontẽ, Herodotũ, & grauissimũ historię Thucididẽ: L. Plutarchi Agesilaũ, Themistoclẽ, Photio-

nem, Ariſtidem, & alios plures, quorum ille vitã in literas miſit: inuenies eos fortitudine præſtitiſſe, multaque prudenter geſſiſſe cum ſummo mortis dolorumque contemtu, & nihilominus in reliquis vitæ partibus moderatos homines & ſuaues exſtitiſſe. Sed & in animalibus videmus ferociora eſſe ea, quæ manſuetudinis habent plurimum, quales equi ſunt, leones, canes, elephanti. Sed quid animalia rationis expertia? quid ceteras nationes appello? cum a Gothis, de quibus agitur, exemplum ſumere liceat, nec debeant Gothi ab aliis exempla mutuare, ſed ipſi ſibiipſis exemplo eſſe poſſint? Ipſi namque olim deſertis ſuis ſedibus auſi ſunt Italiam Hiſpaniamque inuadere, quas ꝓuincias etſi primo aduentu vaſtauerunt, attamen ab humanioribus nationibus ferro poſtmodum cæſi ſunt, & iuſtiſſimas feritatis & immanitatis ſuę pœnas dederũt. Et, vt omittam reliquas eorũ clades, a Belliſario primum, deinde a Narſete, ambobus Iuſtiniani ducibus, tam magno prælio afflicti ſunt, vt Gothorum

nomen vna cum regno his in regionibus interierit. Non eſt modeſtia aduerſaria fortitudini, ſed vires eius tẽperat, ne velit aut audeat aliquod turpiter, inconſulte, indecore. Nunquam dicit modeſtia viro forti, Ne ſis fortis, ſed ne ſis audax, temerarius, præceps, ne quo improuide ruas vide, pugna pro æquitate, pro decore, pro honeſtate: nõ adimo tibi contemtum periculorum & mortis, ſed ſeruare illum iubeo ad certas res & cauſſas, quibus prudenter & laudabiliter eo vti poſſis. Interim melius eſt ad humanitatem, manſuetudinem, facilitatem te cõuertere, vt oſtendas te hominem genitum, & vt victum cultumque teneas, & caritate ceteris hominib. iungaris. Et memento Ageſilai optimi regis, dicentis, nihil opus eſſe fortitudine, ſi iuſtitia ab omnibus colatur. Quamobrem optandum nobis eſſet, ne tua vnquam ſit opus fortitudine, & ſi quando opus erit, exerceas eam ſuadeo, reliquis temporibus manſuetus & benignus erga omne hominum genus eſto. Nec tunc minus eris fortis,

dum illud animo assidue fixũ inconcussumque teneas, non esse tanti vlla pericula, vllos dolores & labores, vllos terrores amittendæ vitæ, aut patrimonij, aut ceterorum commodorum, vt te debeant ab honesta ratione reuocare: id agens fortis eris, etiam dum quietem egeris. Nemo repente fit fortis, nisi ad id antea se præparauit, & cogitet humana omnia homini esse negligenda: quo dignitatem animi decusque retineat, hæc dicet modestia ad virum fortem, omnia ponentem in factorum atrocitate, vt eum paulo quietiorẽ reddat; cuius oratio mihi valde, nescio an tibi etiam probetur. Alb. Iam ista oratio mihi dudum est probata. Mar. Cur igitur me hæc dicere compellis, si quidem hæc tibi iampridem sunt probata? quo more id agis, Alberte? Alber. Eodem Marce, quo tu & ceteri iudices solent. Nam hi etsi sæpius de caussa statuerint intra seipsos, & teneant, quid sit pronunciandum gaudent tamẽ patronos caussarum de re audire. Mar. Vah, meo me telo

telo confecisti. Verũ vt redeamus ad Gothorum institutũ, quo auocant regem a literis, ne per has reddat' effœminatior, vides, imo vidisti iam dudũ, quam improbus sit iste sermo, nec si improbus est sermo, æqua potest esse constitutio. Nihil enim prohibet regem fortissimum esse, eundemq; modestissimum, vt hæc dictant: ac ne militiam quidem eius cuperem modestiæ esse expertem, quamuis præferocem esse oporteat. Quod si optãdum est, vellem Leoninis esse moribus, id est, in hoste duram, atque asperam, sed in amicos & socios, ac plane supplices benignam & quietam. At contra tunc videas a militibus fieri, qui hostibus facile cedentes vim suam in amicos & socios ostendunt. Mouet me, vt hæc dicam, vastata prouincia: nam & direptiones oppidorum, & depopulationes agrorum, & exustiones tectorũ, non tam ab hostibus, quam ab iis sensimus, quorum partes sequebamur. Incolæ præterea tot damnis affecti, tot exhausti sumtibus, vt nihil fere illis sit reliqui.

Alb. Desine quæso ab istis, quæ non possunt sine summa animi molestia memorari. Mar. Venit iam in mentem quiddã, vt minus mirer Gothos ea dicere. Alb. Quid iam id? Mar. Quia non Barbari iam quidam & rudes, sed elegantes homines & vrbani, summa ingenij facultate affluẽtes visi sunt a Philosophiæ studiis abhorruisse: quasi illa moles faceret, & rebus gerendis ineptos. Alb. Ego quoque audio ita quosdam putare. Mar. Sed nõ recte, vt superiora ostendunt. Cur enim Philosophia regẽ institueret, Reipub. administrandæ viam ostenderet, si frustra moneret, & inutiles ad res gerẽdas redderet viros? Cur fortitudinem animi tantopere extolleret, & de reliquis virtutib. tam multa effunderet, si rationes, quas colligit, non confirmare animum, non vsui esse possent? Num a rebus agendis retrahit? At illa præcipue vox est eius, omnem virtutem in actione consistere? At mortis contemtũ docet & doloris: quamobrẽ? nisi vt forti animo durissima quæque honestatis studio aggre-

aggrediamur. Sed exemplis quoque ostenditur falſam illã eſſe cogitationem. Non enim Philoſophia impedimento, ſed maximo adiumẽto eſt ad res gerendas. Qui & quantus fuit dux Xenophon Socraticus in eo exercitu, quem Minor Cyrus regnum Aſiæ affectans aduerſus fratrem comparat? At hic tantos in Philoſophia habuit progreſſus, vt auſi fuerint quidã eum Platoni exæquare. Num Philoſophiæ ratio fecit, vt minus exercitum duceret, & cum hoſte manus conſereret, ac non potius inſtructiorem reddidit ad omnia? Quis Romanorum Imperatorũ præſtantius adminiſtrauit Imperium Marco Antonio, qui Philoſophiæ aſſidue operam dabat? Non enim languidiorem Philoſophia reddidit, ſed acutiorem. Dio & Brutus, quorum vitam vt ſimillimam Plutarchus colligauit, quot & quanta geſſerunt? Qui tamen Philoſophiæ præceptis inſtructiſſimi fuere. Quid de Chione dicam Pontico, Platonis auditore? huius exſtant grauiſſimæ epiſtolæ, in quibus patri pollicetur, Cle-

archum nouũ Tyrannum, manu sua exſtincturum, nec diutius paſſurum, vt patrias leges & iura libertatis ciuibus adimat, & cædem optimorum virorum moliatur, nec minus fortiter fecit, quam dixit. Nam ex Athenis, vbi Philoſophandi cauſſa morabatur, in patriam regreſſus Tyrãnum interemit. Num id Philoſophia eum cogitare non permiſit? aut ſi permiſit, nũ a propoſito reuocauit aliquando? num remorata eſt? num impedimento fuit, quo minus perficeret cogitata? Multi etiam alij Philoſophi Tyrannos ſuſtulerunt, patriamque liberarunt, nonnulli cum in poteſtatem Tyrannorum veniſſent, eos contemſerunt. Vnde illud Anaxarchi, qui cum a Nicocreonte Cypri Tyranno, cui inſidias fecerat, pilis ferreis tunderetur: Tunde, inquit, tunde Anaxarchi vaſculũ: nam Anaxarchum non tundis. Illud etiam præclarum Theodori Cyrenæi Philoſophi, cui cum Lyſimachus Rex crucem minitaretur: Hæc minitare (inquit) tam horribilia purpuratis tuis, Theodo-

ri nihil intereſt, humi an ſublime putreſcat. Et huic quidem Lyſimacho ſic fuit reſponſum, vt intelligere poſſet, quanta animi firmitate Philoſophia virum dotaret. Alter fuit Lyſimachus Agathoclis filius Macedo, Comes Alexandri Magni in Aſia belligerantis, genere & opibus clarus, virtute clarior, non ille quidem Philoſophus, ſed Calliſtheni Philoſopho, qui tum in comitatu erat, aſſidue dabat operam, rebuſque Calliſthenis fauebat, quod ægre ferens Alexander hominem Leoni obiecit: At ille manum amiculo obuoluens in os Leonis iniecit, arreptaque lingua feram exanimauit. Optabamus modo milites Leoninis eſſe moribus: hic a Philoſophia attulit animum aduerſus Leonem, & Leone quidem ipſo fuit violentior. Efficit Philoſophia aſſidue tractata impauidos viros, interritos, indomabiles, tantumque abeſt, vt obſit, vt valde etiam proſit, quotieſcunque eſt opus animi præſentia. Recteque Plutarchus huius Alexandri vocem improbat, qui vbi vidiſ-

ſet Diogenem humana omnia contemnentem,&infra ſe ducētem,conuerſus ad amicos dixiſſe fertur: Si Alexander non eſſem, Diogenes eſſe vellē. Imo (inquit ille) q, Alexander erat,eo magis Diogenes eſſe debebat. Quod ſi fuiſſet, non rebus poſtea in Aſia ad votum fluentibus ſe vino ingurgitaſſet, non humi adorationes a Macedonibus exegiſſet, non in deuictarum gentium cultum habitumque tranſiſſet,non in conuiuio amicos,atque illum ipſum Calliſthenem recte ſuadentem peremiſſet: denique non ſecundæ res illum ſubmerſiſſent. Sed quid ita ago, quaſi hæc ſit integra diſputatio, ac non ſermone hoc omni confecta. Nam cum oſtēſum iam ſit, Principem non recte Rempub. adminiſtrare poſſe, niſi in literis imbutus ſit,cui dubium relinquitur, eum quoque ad Philoſophorum literas accedere debere, vnde ſapiētiæ virtutumque omnium pręcepta haurire queat. Sed iam non modo ab iſtis, verumetiam ab omni reliquo ſermone libenter deſino. Nam iam Sol ad occaſum

prope-

properat,& pueri circa lances pocula & menſas diſcurrunt, cœnæ apparandæ gratia. Verum vt concludatur hæc oratio, quam de doctrina Principum ſumſimus, breuem dicam ſententiam aduerſus eos, qui putant ſatis eſſe literarum in Principe, ſi ſciat legere epiſtolas ad ſe miſſas, & ſcribere nomen ſuum ad ſignanda reſcripta grandioribus literis, iiſque male compactis: nā quo deterius ſcribitur, id iſtis ſuauius eſſe videtur, & magis e dignitate Principis. Sed venio ad ſententiam. ALB. Quid tibi hæc vult ſententia? Nondū enim intelligo. MAR. Quia mihi agendum nunc puto, perinde ac ſi de re hac Senatus aut populi concio haberetur, & poſt longam orationem breuiter mihi cenſendum eſſet. ALB. Dic igitur: nam te quoq; cenſentem libet audire. MAR. Ego igitur, Marcus, ita cenſeo: *Nemo niſi qui ſapientiam adeptus ſit, optet ſibi potentiam, ſi non habeat: ſi habeat, me auctore, deponat, quoniā retinens multis magniſq; implicabitur peccatis, quæ nemini expedit contraxiſſe, nec viuo, nec mortuo. Quod ſi ſapientiam adi-*

pisci velit ut eam coniungat potentiæ, sciat id facile non posse contingere. Sed quo difficilius, eo præclarius: nam primũ illud quæritur, ut docili feracique sit ingenio: Deinde opus est multorum literas videre, sententias cognoscere, per antiquorum scripta volutari: Postremo opus est meditatione summa & exercitatione ad mores suos componendos, plura etiam usu periclitanda & cognoscenda. Quicunque autem ex Principibus sic fuerit instructus & ornatus, magno sibi & reip. usui fuerit, magnisq; decorabitur præmiis, non humanis tantum, sed illis etiam, quibus summa Dei benignitas sapientes & recte publicis prospicientes commodis complecti solet. Dicta est sententia, quæ finẽ imponit huic nostro sermoni, imo non imponit, quoniam aliquid aliud addendum videtur. ALB. Quidnam addendum putas optimæ sententiæ? MAR. Pudor quidam me occupauit. ALB. Scio: pudet te Principum illiteratorum. MAR. Nõ horum nunc, sed nostri pudet. ALB. Nostri (inquis) pudet, quid ais? aut in quo deliquimus? an non verus sermo noster? MAR. De veritate nõ conqueror sermonis.

ALB.

ALB. An non disertus is fuit, elegans, copiosus? MAR. Non accuso paupertatem in loquendo nostram, non imperitiam. ALB. Quid igitur aliud si ex hac parte non damnas? MAR. Vis me audacter loqui? ALB. Volo. MAR. Disputationem hanc nũc totam mecum reuoluens, Alberte, existimo nos non fecisse præclare, sicut initio existimabam, quod hac de re loquuti fuerimus, pręsertim tam multa, sed turpiter. Pudet enim, quod inductum fuerit ignorantiæ aduersus doctrinam certamen, ac non statim reiecta fuerit ignorantia veluti indigna, quæ cum doctrina gradum conferret. An non recte pudet? ALBER. Fortasse: vide tamen ne defendere nos possimus exemplo Philosophorum, qui voluptatis certationẽ, cum virtute induxerunt. MAR. Potest dici, Alberte, hanc cum virtute voluptatis certationem non minus esse turpem: itaque hoc exemplum non me valde solatur. Nam, vt est apud Horatium:

Nil agit exemplum, litem quod lite resoluit.

Eſt tamen aliud quiddam, quo recreor paululum. Alb. Quid Mar. Recreor ego paululũ, Alberte, dum ſpecto nulla id factum eſſe noſtra culpa, ſed temporũ, quæ peſſimis obnoxia ſunt moribus. Ipſa enim ſunt, quæ certationem hanc induxerũt non ſatis decoram, neque honeſtam, atque id forſitan fuerat ferendum, niſi quod iam multi ignorantiam præferũt, doctrinam omnem in ſummis poteſtatibus facile iacere patiuntur. Nos aduerſus hos inſurreximus, plura diximus: ego etiam ſententiam ad extremum protuli, quaſi res in ſenatu, aut in cõcione populi ageretur, quorum tamen neutrum habui. Quod ſi alterutrum habuiſſem, quos aut quales ſuffragatores nactus fuiſſem, neſcio. Alber. Si colloquium id noſtrum in literas mittere volueris, rẽ te dignam, & aliis tuis conſimilem, nobiſque gratam feceris, & tunc tibi fuerit dicta ſententia per libellum, non his aut illis vno loco collectis, ſed ſparſim eruditis omnibus, non huius modo ætatis, ſed poſterioris quoque, quicunq; ſcripta

ſcripta tua in manus ſumere curabũt, eoſdem ingenij tui iudices & ſententiæ ſuffragatores habiturus.

PLVTARCHI CHERONENSIS COMMENTARIOLUM, DE PRINCIPVM DOctrina.

Des. Eraſmo Roterodamo interprete.

PLATO rogatus a Cyrenenſibus, vt ſibi leges ſcriberet, ſcriptaſque relinqueret, ac Reip. ſtatim componeret, recuſauit, dicẽs, perdifficile eſſe, leges condere Cyrenenſibus, qui tam eſſent felices. Nihil enim tam ſuperbum, nihil tam intractabile ac moroſum eſſe: quam hominem, quem felicitatis opinio corripuerit. Quapropter difficile eſt his, qui gerunt imperium, de imperio cõſulere. Reformidant enim rationem, ceu principem admittere, ne potentiæ bonum, quod habere videtur, impediat, ſi id aſtringat, & ſeruire cogat honeſto. Idq; fa-

ciunt quod ignorent ſententiã Theopompi Spartanorum ducis: qui cum primus in Sparta regiæ poteſtati adiunxiſſet magiſtratus Ephoros, deinde vxor dixiſſet probro illi futurum, ſi filiis traderet minus imperiũ, quam accepiſſet ipſe, imo maius, inquit, relinquo, nimirum hoc maius quo firmius. Nam cum acerbitatem ac ſæuitiam imperij remiſiſſet, vna cum inuidia vitauit & periculum. Quanquam Theopompus ex imperio, velut magno flumine deductis riuis, quantum aliis dedit, tantum ſibi detraxit. At ratio, quam adfert ſapientiæ ſtudium, ſi principi aſſideat, ei ceu domeſticus cuſtos adiũcta bonæ valetudinis, ſublato eo quod eſt periculo obnoxium, quod ſanum eſt, relinquit. Sed plerique reges ac principes parum cordati, ſtatuarios imperitos imitantur, qui credunt Coloſſos magnos & amplos videri, ſi tibiis vehementer diductis, ſi late diſtentos & hiantes finxerint. Nam hi quoq; grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentia, fugaq; conſuetudinis humanę, maieſta-

Imperium nõ ſpatio, ſed ſtabilitate metiendum.

Bona ſani tudo.

tem

tem & auctoritatē imperij sibi videntur imitari, nihil prorsum a Colossorum signis discrepantes: qui cum foris heroicā ac diuinam quandā speciem præ se ferant, intus pleni sunt terra, lapide, plumbo, nisi quod istud Colossorum pondus rectitudinē illorum stabilem & immotam seruat. At ineruditi duces ac principes, propterea quod intus male librati sint, sæpenumero vacillant ac subuertuntur. Etenim cum basi non recte positæ, sublimem superstruunt potestatem, simul cum ipso pondere nutant, & ad ruinam inclinantur. Verum quemadmodum oportet, vt ipsa regula primum recta sit, nihil habēs obliquum, deinde cetera sibi admota, quatenus sibi cōgruunt, exæquet. Consimili modo princeps, posteaquam imperium in seipso parauerit ac direxerit, vitamq; suam composuerit, tū debet sibi applicare eos, quib. imperat. Nec enim cadentis est, alium erigere: nec ignorantis, docere: nec incompositi, cōponere: nec ordinare, inordinati: nec imperare eius, qui nō pareat imperio. At quū

Dissimile

Cōparatio princi pis ad regulam

Sententia.

parum ſapiũt, illud præcipuũ imperii bonũ eſſe ducunt, q nullius imperio ſubiaceãt. At Perſarũ q̃dẽ rex omnes pro ſeruis habebat, p̃ter vxorẽ ſuã, cuius maxime cõueniebat eſſe dominũ. Quis igitur imperabit principi? Nempe lex, omnium regina & mortalium & immortalium, vt ait Pindarus, non iſta quidem lex foris in libris, aut ligneis ſcripta tabulis, ſed viua illi inſita ratio ſemper conuiuens ac familiaris principi, nec vnquam animũ ſuo ductu, ſuaque moderatione deſtituens. Nam Perſarum rex vnũ habebat cubicularium, cui hoc negotium mandatum erat, vt diluculo ingreſſus illi diceret; Surge rex, atq; ea cura negotia, quæ te curare voluit Meſoromaſdes. At erudito prudentique principi int⁹ in animo adeſt, qui ſemper idem dictet ac iubeat. Polemon dicebat amorem eſſe deorum obſequium, ad proſpiciendum adoleſcentulis. Sed verius quis dixerit, principes miniſtros eſſe Dei ad curam ac ſalutẽ hominum, vti bona, quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſeruent.

Mos Perſarum.

Princeps quid ſit.

uent. Vides in ſublimi cœlum hoc immenſum, quod terram vndique liquidis vlnis amplectitur; illud quidem demittit ſeminum, quibus opus eſt principia, terra vero producit. Creſcunt autem partim imbribus, partim ventis, partim ſtellis ac luna confouentibus. Porro ſol ornat omnia, omnibus vim amoris ac ſeſe admiſcens. Sed tot tantiſque muneribus ac bonis, quæ dij largiuntur, non licet nec frui, nec vti recte, ſi deſit lex, iuſtitia & princeps. Itaque iuſtitia quidem legis eſt finis, lex autem principis opus. Princeps vero Dei ſimulacrum adminiſtrantis vniuerſa, nihil egens Phidia ſtatuario, neque Polycleto, neque Myrone, ſed ipſe ſeipſum per virtutem Deo ſimilem reddidit, ac fabricatus eſt ſtatuã omnium viſu iucundiſſimam ac magnificentiſſimam. Quemadmodum enim Deus in cœlo pulcerrimum ſuiipſius ſimulacrum conſtituit ſolem ac lunam, talis eſt in Republica imago ac lumen princeps, qui Dei reuerens, iuſtitiam tuetur, hoc eſt, Dei rationem geſtat,

Iuſtitia laus.

Geſtamen regu.

nempe intellectum, non ſceptrum aut fulmen, aut tridentem, qua ſpecie ſeipſos nonnulli fingunt, ac pingunt ſtultitiam ſuam, quod videantur inacceſſi, reddentes inuidioſam. Offenditur enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur. Delectatur autem his, qui ſuam æmulantes virtutē ſemet in honeſtate & humanitate reddunt adſimiles, atq; hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, iuſtitiam, veritatem, ac manſuetudinem. Quib. rebus nihil eſt diuinius, neq; ignis, neque lux, neq; ſolis curſus, nec exortus, aut occaſus aſtrorum, nec ipſa æternitas, aut immortalitas. Non enim felix eſt Deus vitæ ſpatio, ſed eo quod eſt Princeps virtutis: nam hoc eſt numē. Porro virtutis decus eſt, in quod gerit imperium. Anaxarchus igitur cum Alexādrum de Cliti cæde diſcrutiantem ſeſe conſolaretur, dixit, ad hunc modum, Clito iuſtitiā contigiſſe, quæ Diis aſſideat, vt quicq̃d a rege fieret, fas iuſque videretur: idque nec recte, nec vtiliter, cum regem errati pœni-

x Poeta quopiam.

tentem animare ad similia patranda existimaretur. Quod si hisce de rebus similitudines sunt conferendæ, nō assidet Ioui iustitia, sed ipse iustitia fasque est, lexq; tum antiquissima, tum exactissima. Veteres ita & loquuntur, scribunt, & docent, absq; iustitia principatum recte gerere, ne Iouem quidem ipsum posse. Atque eadem virgo est, iuxta Hesiodum, nimirum incorrupta, pudoris, modestiæ, & vtilitatis amica, vnde & reuerendos cognominant reges. Conuenit enim vt hi maxime reuereãtur, qui minime timent. Ceterum principem magis oportet timere, ne quid mali faciat, quam ne quid patiatur: nam hoc ex ipso nascitur. Atque hic est principis metus, & human⁹, nec ingenerosus, vt his, quibus imperat, metuat, ne quid se inscio lædantur. Non aliter atque canes nocturnam, ac laboriosam agentes ouium in septis custodiã, simulatque trucem audierint feram, timent non sibi, sed his quæ custodiunt. Epaminondas autem, Thebanis in ludos quosdam festos & compotationes

Iustitia virgo.

E poeta quopiam.

Epaminondae.

ſolutis, ſolus adibat arma mœniaque; dicens ſe ſobrium eſſe, ac vigilare, quo liceret aliis ebrios eſſe, ac dormire.

Cato Vticen. Præterea Cato Vticæ victore Cæſare, reliquos omnes iuſſit ad mare vocari, eos ſimulatque impoſuiſſet, ac proſperam eſſet nauigationem precatus, ipſe reuerſus domum, ſibi necem ſua manu cōſciuit, docēs videlicet, quib. debeat timere princeps, & q̃ debeat contemnere.

Clearchus. Contra Clearchus Ponti tyrannus, arculæ incluſus, ſerpentis in morem dormire ſolitus eſt.

Ariſtodemus. Et Ariſtodemus Argiuus in cœnaculo domicilium habebat, oſtio penſili, cui impoſita lectica dormire conſueuit vna cum amica. Puellę mater ſcalas detrahebat, eaſq; rurſus apponebat orta luce. Quantopere creditis hunc horruiſſe theatrum, palatiū, curiam, conuiuium, qui e cubiculo ſibiipſi carcerem fecerit? Itaque qui vere ſunt reges, timent his in quos habent imperium. Contra tyranni eos ipſos timēt, proinde metum augent aucta potentia, propterea quod quo pluribus imperant, hoc plures metuunt. Nec e-

nim

nim consentaneum est, neque decens id quod a nonnullis philosophis dictum est, in hyle, id est, materia, quæ cuncta patiatur, quæque innumeris negotiis recipiat necessitates, casus, commutationes, latere Deum admixtũ, sed supra nos in sublimi iuxta naturam, quæ his in rebus semper hoc modo se habet, in sanctis (vt inquit Plato) fundamentis fixus sedens, recta perficit, iuxta naturam obambulans. Quemadmodum in cœlo solem pulcerrimum sui simulacrum, quod se ceu speculo repræsentet, ostendit his, qui illum per se possunt intueri, ita in ciuitatibus iustitiæ lucem, huiusque rationem velut imaginem constituit, quam felices ac prudentes effingunt e philosophia, ad summam rerum pulcritudinem accommodantes sese. Hunc autem animi habitum nihil est quod gignat in nobis, nisi ratio e philosophia proficiscens, vt idem nobis accidat quod Alexandro: qui cum Corinthi vidisset Diogenem, eiusque probasset ingenium, ac viri prudentiam ac magnitudinem esset admira-

Attende Alexandri ad Diogenem, dictum.

tus, Ni Alexander essem, inquit, Diogenes essem, aliquantulum (vt ita dicam) onustus sua felicitate ac splendore potentiaque, velut impedimentis & otium negantibus ad capessendam virtutẽ, inuidens tamen interim Diogeni pallium ac peram, quibus ille inuictus erat & insuperabilis, non quemadmodum ipse armis, equis, & sarissis. Licebat igitur philosophantem simul & affectu fieri Diogenem, & fortuna manere Alexandrum. Et ob hoc magis etiam Diogenem fieri conueniebat, quod Alexander esset, vt qui aduersus magnam fortunam, turbulentam ac procellosam, multis opus haberet fulturis, magnoque gubernatore. Nam in imbecillibus, humilibus ac priuatis, eo quod vt sunt stulti, ita parum possunt offendere, molestia quędã veluti malis somniis perturbat animum, qui nequeat a cupiditatibus expergisci. At potestas, coniuncta cum malis moribus molestiam adiungit cupiditatibus. Verum est illud Dionysii, qui dicebat, se tum maxime capere fructum ex imperio, cum

cum quæ vellet, celeriter efficeret. Itaque vehementer est periculosum, velle quæ non decet, eum qui quæ velit, facere possit.

At simul ac dictum est verbum, res ipsa peracta est. Carmen

Malitia celerem nacta cursum ex potestate, quemuis incitat affectum, parat iram, inuidiam, amorem, adulterium, auaritiam, proscriptionẽ. Ac simul vt verbum dictum est, actum est de eo, qui suspicione offendit, periitq; delatus. Et quemadmodum docent Physici, fulgur posterius erumpere quam tonitru, prius tamen apparere, sicuti sanguis prius apparet quam vulnus, propterea quod sonitum quidem excipiant aures, lumini vero visus occurrat: sic in imperiis supplicia præuertunt accusationes, & prius emicant condemnationes, quam probationes, Mira similitudo.

Illic enim ira iam nequit resistere,
Hamata sicut ancora æquori fero,

Versus Senarii. Similitudo.

Nisi rationis pondus frangat ac premat potẽtiam, vti princeps solem imitetur, qui cum altissimus est ad

polum ſeptentrionalem euectus, tum minimum mouetur, curſum tutum reddens tarditate. Neque enim fieri poteſt, vt malitia lateat in poteſtate: verum eos quidem, qui morbo comitiali ſint obnoxij, ſi in frigus aliquod incidant, eoque corripiantur, continuo capitis occupat vertigo, ac vacillatio morbum arguens. At indoctos & ineruditos, ſimulatque fortuna paulum extulerit, opibus ac gloria aut potentia ſubuectos in altum, protinus oſtendit caducos. Imo potius, ὁμοίωσις. quemadmodum in vaſis inanib. non queas dignoſcere, integra ſint, an vitioſa, verũ vbi infuderis aliquid, tum apparet qua perſtillent: Sic animi putres non ferentes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempe iracundia, faſtu, inſolentia. Sed quid attinet de his dicere, cum minima etiam nobilium & illuſtriũ virorũ delicta calumnientur homines? Cimoni vinum obiiciebatur, Scipioni ſomnus, Lucullus ob cœnas ſumtuoſiores male audiit.

PLV-

PLVTARCHI CHERONENSIS COMMENTARIOLUM, CVM PRINCIPIBVS MAXIME PHILOSOPHUM DISPUTARE DEBERE,

D. Erasmo Roterodamo interprete.

IN amorem insinuare sese, & in aliorum amicitiã inseri, & alios in amicitiam recipere, eamq; colere, q̃ multis sit tum publice, tum priuatim vtilitatem ac fructũ allatura, id hominum est ciuilium, honestate & humanitate præditorum, non gloriæ cupidorum, quemadmodum nonnulli dictitant. Quin contra potius is & gloriæ sitiẽs, & probri metuens videtur, qui reformidat ac veretur, ne dicatur studiosus & obseruans eorũ, qui potestate præcellunt. Alioqui quid dicit is, qui sanabilis est, & philosophiam desiderat? Vtinam sim Simon ille coriarius, aut grãmatista Dionysius, e Periclis aut Catonis familia, vti mecũ confabuletur, mihiq; assideat, quemadmodũ Socrates illis. Et Ariston Chius cum male Ariston Chius.

audiret a Sophistis, ꝙ cũ omnib. quicunq; vellent, disputaret, dicere debuit: Imo feræ quoq; intelligunt sermones qui prouocent ad virtutem: & nos refugiemus habere cõsuetudinẽ cum viris potentib. & optimatibꝰ, perinde, quasi immites sint ac feri? Philosophię doctrina nõ est huiusmodi statuarum artifex, vt signa fingat, quæ in basi muta stent, & sensus expertia: sed agilia student facere quæcunq; aggreditur, negotiosa, viuaq;. Addit impetus, quibus excitentur, addit iudicium quod inuitet ad vtilia, addit delectum, quo sequamur potiora, addit prudentiam, animiq; magnitudinem, cũ mansuetudine cautelaq; coniunctã, per quas res viri ciuiles libentius habent familiaritatem & consuetudinem cũ præcellentibus dignitate viris ac præpotentibus. Etenim si quis medicus sit egregius, libentius illi medebitur oculo, qui pro multis circumspiciat, multosq; custodiat: ita philosophus eius animi cura libentius aget, quem videt pro multis solicitũ, quemq; oporteat multis sapere, multis esse philosophũ,
multis

multis exhibere iustitiam. Etenim si *Epoeta quopiam.* peritus artifex fuisset in exquirendis & contrahendis aquis, cuiusmodi narrant Herculem ac veterũ complures, nõ gauisus esset fodere in extremis oris iuxta corui rupẽ subulcicam illam Arethusam: sed amnis alicuius perennis fontes aperuisset ciuitati & exercitui, regum arbustis ac saltibus. Audiuimus sane Homerũ Minoa Dei Oaristen appellantẽ, hoc est, interprete *ὀαριστήν.* Platone, familiarẽ ac discipulũ. Neq; enim censebat priuatos homines, aut ædium custodes, aut otiosos esse deorũ discipulos, sed reges. Quibus si con- *Reges deorum discipuli.* gerit rectũ cõsiliũ, iustitia, ꝓbitas, fortitudo, continuo futurũ est vt omnes adiuuentur, fructũq; capiant, qui cum eis habent commercium. Ferunt si e- *Mirum de capris.* rungium herbam vna quæuis capra *ἠρύγγιον.* sumserit in os, primum ipsam sisti, deinde reliquum omnem gregẽ cum illa consistere, donec accedens caprarius, herbam eximat. Eiusmodi quædam vis & acrimonia fluit a potestate, quæ ignis in morem depascatur, ac dissipet quæcunq; propius admota

fuerint. Atqui philosophiæ ratio, si in hominem priuatum inciderit, gaudentem ocio, seseque veluti centro ac spatio geometrico, corporis necessitatibus circumscribentẽ, nihil transfundit in alios, sed parta in vno illo tranquillitate & ocio, marcessit, simulq; cum eo deficit. Verum si principem, aut magistratum, & in negociis versantem attigerit, atque hunc expleuerit honestate, per vnum prodest compluribus, quemadmodum fecit Anaxagoras Pericli familiaris, Diogeni Plato, Pythagoras Italiæ primatibus. Ac Cato ipse relicto exercitu nauigauit ad Athenodorũ, Scipio Panætium accersiuit, cum a senatu legatus esset, virum qui æqui atq; iniqui rationẽ haberet, velut inquit Possidonius. Quid igitur oportuit dicere Panætium? Si quidẽ esses Cato, aut Pollux, aut alius quispiã priuatus, cupiens mediam vrbis lucẽ effugere, p otium in angulo quopiã philosophorum syllogismos resoluens ac nectens, lubens te docendum suscepissem, tuaq; vteter consuetudine: sed posteaquam es Pauli

Qui principes quos doctos habuerint.

Ironia.

Pauli Aemilii bis cõsulis filius, nepos autèm Scipionis Africani, eius qui Hannibalem Carthaginensem deuicit, haud disseram tecum. Ceterum q; dicunt nonnulli, duplicem esse philosophiæ rationem, alteram ipso in animo sitam, Hegemonis, id est, ducis Mercurii munus, alteram in efferendo & enunciando positam, atq; organicã: id friuolũ est, coniungendumq; cum illo quod dici solet, Hoc nouerã antequam Theognis natus est. Quanquam ea distinctio nihil obstiterit, propterea quod tum eius rationis, quæ sita est in animo, tũ eius quæ posita est in enunciãdo, finis est amicitia. Huius quidem erga alterũ: illius vero erga seipsum. Ergo qui per philosophiã omnia refert ad virtutem, ipsum secum cõcordẽ, sibiq; consentientem, ac talẽ vt ipse de se nihil queraẽ, pacis & gaudii plenũ, semp sibiipsi amicũ ac beneuolentẽ reddit hominẽ. Non hic seditio, nõ impiũ bellum in mẽbris, non affectus parũ dicto audiens rationi, nõ cupiditas cũ cupiditate pugnãs, nõ concursus cogitatio-

ἡγεμόνος.

Prouerbialis senarius.

nis cum cogitatione, nō velut in confinio cupientis ac pœnitentis asperitas ac turbulentia cum delectatione coniuncta, sed amica pacataq; omnia, per quæ fit, vt vnusquisque pluribus fruatur bonis, ac seipso gaudeat. At enuntiatiuæ rationis Musam Pindarus negat olim quæstus auidam & operariam fuisse: ego ne nunc quidem esse puto, sed inscitia & honesti neglectu, communem illum Mercurium negotiatorem ac mercenarium esse redditum. Neq; enim consentaneum est, Venerem sacrifici sui filiab. indignatam fuisse, quod primæ tentarint odia serere in adolescētulos, Calliopen autem & Clio gaudere his, qui sermonē ac doctrinam pecuniæ gratiā tradant. At mihi sane sic videtur, Musarum effecta muneraque magis, quam Veneris esse cum amicitia beneuolentiaq; coniuncta, magisque ad hæc paranda conducere. Nam gloria famaq;, quam nonnulli doctrinæ finem faciunt, vel ut initium ac seminariū amicitiæ diligebatur. Quin potius hominum vulgus, in totum, gloriam beneuolentia metiun-

Prouerbium, κοινὸς ὁ ἑρμῆς.

metiuntur, arbitrãtes nos eos duntaxat laudare, quos amamus. Verũ ſicut Ixion Iunonem inſequẽs, in nubẽ incidit: ſic iſti pro amicitia, falſum amicitiæ ſimulacrum, populare vagumq; amplectuntur. At is qui ſapit, ſi in administranda republica verſetur ac negotijs, is tantum gloriæ deſiderabit, quantum ſatis eſt ad conciliandum illi in reb. gerendis auctoritatẽ, ex eo q illi creditur. Neq; enim iucũdum eſt, neq; facile ꝓdeſſe iis, qui nolint alium ſibi ꝓdeſſe. Vt aũt velint, facit opinio fideſq; tibi habita. Sicuti lumẽ bonum eſt, non tam his qui videntur, q̃ his qui vident, itidẽ fama his qui ſentiunt potius, quam his qui non negligũtur. At is qui ſemotus a publicis negotiis ſecum ipſe viuit, quiq; finẽ boni collocat in otio & quiete, vt gloriã in turbis hominum, in theatris per omnem populum circumuolantem, nõ aliter quam Venerẽ Hippolytus, quod caſtus eſſet procul ſalutat, ita eam quæ a probis cordatiſq; viris proficiſcitur, idem haud aſpernatur. Opes, famam, ac potentiam regiam, nec oportet

requirere in amicitiis, neque fugere tamen, si cum modestis moribus hæc fuerint coniuncta. Neque enim philosophus adolescẽtes requirit formosos & venustos, sed tractabiles, compositos, & dicendi cupidos. Neq; rursum si quibus adest decor & forma, flosq; æui, id deterret philosophum, neque pulcritudo alienat aut abigit a curandis his qui digni sunt. Itaque si principis dignitas ac potentia simul contigerit homini modesto & humano, non abstinebit ab huius amore beneuolentiaque philosophus, neq; metuet hominum rumores, ne dicatur aulicus & principum cultor.

Senerii. *Quicunque Venerem fugit, insanit nimis,*
Non aliter atque hi, qui studet bona tollere.

Similiter & isti qui erga tam splendidam amicitiam optimatum eodem modo sunt affecti. Ergo philosophus a negotiis alienus non refugiet, nec abhorrebit ab huiusmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obstrepẽs ac molestus, nec aures infarciens importunis ac sophisticis disputationibus. Verum cum his qui cupiunt,

gaudebit

gaudebit & disputare & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis sex dierum iter sero, arua, fertilem Berecynthium agrum. *Senarii e tragœdia quapiam.*

Hic si non solũ agricolationis studiosus fuisset, verũ etiam hominum, num libentius sereret agrum, qui tantam hominũ multitudinẽ alere posset, quam illum Antisthenis agellum, quem aiebat sibi vix sufficere? Respõdens te malle. At si te rogem, num vniuersum orbem curandum suscipere velis, Recuso, inquis. Sane Epicurus summum bonũ in ocio altissimo constituens, velut in portu tranquillo, qui nullis agitetur vndis, nullo strepat fragore, dicit non modo pulchrius esse beneficio afficere quam affici, verum etiam iucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Sapiebat autẽ qui Gratiis indidit nomina, Aglaiæ, Euphrosynę, ac Thalię. Siquidem hilarem esse & gaudere in conferendo beneficium id & maius est, & purius. Quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cum beneficiũ accipiunt, semper autem gaudent, cũ

Epicurus

Sententia.

Nomina Gratiarum ab alacritate gaudio, & florulentia.

requirere in amicitiis, neque fugere tamen, si cum modestis moribus hæc fuerint coniuncta. Neque enim philosophus adolescẽtes requirit formosos & venustos, sed tractabiles, compositos, & dicendi cupidos. Neq; rursum si quibus adest decor & forma, flosq; æui, id deterret philosophum, neque pulcritudo alienat aut abigit a curandis his qui digni sunt. Itaque si principis dignitas ac potentia simul contigerit homini modesto & humano, non abstinebit ab huius amore beneuolentiaque philosophus, neq; metuet hominum rumores, ne dicatur aulicus & principum cultor.

Senerii.

Quicunque Venerem fugit, insanit nimis,
Non aliter atque hi, qui studet bona tollere.

Similiter & isti qui erga tam splendidam amicitiam optimatum eodem modo sunt affecti. Ergo philosophus a negotiis alienus non refugiet, nec abhorrebit ab huiusmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obstrepẽs ac molestus, nec aures infarciens importunis ac sophisticis disputationibus. Verum cum his qui cupiunt, gaudebit

gaudebit & disputare & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis sex dierum iter sero, arua, fertilem Berecynthium agrum. *Sinarii e tragœdia quapiam.*

Hic si non solũ agricolationis studiosus fuisset, verũ etiam hominum, num libentius sereret agrum, qui tantam hominũ multitudinẽ alere posset, quam illum Antisthenis agellum, quem aiebat sibi vix sufficere? Respõdens te malle. At si te rogem, num vniuersum orbem curandum suscipere velis, Recuso, inquis. Sane Epicurus summum bonũ in ocio altissimo constituens, velut in portu tranquillo, qui nullis agitetur vndis, nullo strepat fragore, dicit non modo pulcrius esse beneficio afficere quam affici, verum etiam iucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Sapiebat autẽ qui Gratiis indidit nomina, Aglaiæ, Euphrosynę, ac Thalię. Siquidem hilarem esse & gaudere in conferendo beneficium id & maius est, & purius. Quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cum beneficiũ accipiunt, semper autem gaudent, cũ

Epicurus

Sententia.

Nomina Gratiarum ab alacritate gaudio, & florulentia.

requirere in amicitiis, neque fugere tamen, si cum modestis moribus hæc fuerint coniuncta. Neque enim philosophus adolescẽtes requirit formosos & venustos, sed tractabiles, compositos, & dicendi cupidos. Neq; rursum si quibus adest decor & forma, flosq; æui, id deterret philosophum, neque pulcritudo alienat aut abigit a curandis his qui digni sunt. Itaque si principis dignitas ac potentia simul contigerit homini modesto & humano, non abstinebit ab huius amore beneuolentiaque philosophus, neq; metuet hominum rumores, ne dicatur aulicus & principum cultor.

Senerii. *Quicunque Venerem fugit, insanit nimis,*
Non aliter atque hi, qui student bona tollere.

Similiter & isti qui erga tam splendidam amicitiam optimatum eodem modo sunt affecti. Ergo philosophus a negotiis alienus non refugiet, nec abhorrebit ab huiusmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obstrepẽs ac molestus, nec aures infarciens importunis ac sophisticis disputationibus. Verum cum his qui cupiunt, gaudebit

gaudebit & diſputare & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis ſex dierum iter ſero, arua, fertilem Berecynthium agrum. *Sinarii e tragœdia quapiam.*

Hic ſi non ſolũ agricolationis ſtudioſus fuiſſet, verũ etiam hominum, num libentius ſereret agrum, qui tantam hominũ multitudinẽ alere poſſet, quam illum Antiſthenis agellum, quem aiebat ſibi vix ſufficere? Reſpõdens te malle. At ſi te rogem, num vniuerſum orbem curandum ſuſcipere velis, Recuſo, inquis. Sane Epicurus ſummum bonũ in ocio altiſſimo conſtituens, velut in portu tranquillo, qui nullis agitetur vndis, nullo ſtrepat fragore, dicit non modo pulchrius eſſe beneficio afficere quam affici, verum etiam iucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Sapiebat autẽ qui Gratiis indidit nomina, Aglaiæ, Euphroſynę, ac Thalię. Siquidem hilarem eſſe & gaudere in conferendo beneficium id & maius eſt, & purius. Quapropter multi ſæpe pudore ſuffunduntur, cum beneficiũ accipiunt, ſemper autem gaudent, cũ

Epicurus

Sententia.

Nomina Gratiarum ab alacritate gaudio, & florulentia.

requirere in amicitiis, neque fugere tamen, si cum modestis moribus hæc fuerint coniuncta. Neque enim philosophus adolescētes requirit formosos & venustos, sed tractabiles, compositos, & dicendi cupidos. Neq; rursum si quibus adest decor & forma, flosq; æui, id deterret philosophum, neque pulcritudo alienat aut abigit a curandis his qui digni sunt. Itaque si principis dignitas ac potentia simul contigerit homini modesto & humano, non abstinebit ab huius amore beneuolentiaque philosophus, neq; metuet hominum rumores, ne dicatur aulicus & principum cultor.

Senerii.

Quicunque Venerem fugit, insanit nimis,
Non aliter atque hi, qui studet bona tollere.

Similiter & isti qui erga tam splendidam amicitiam optimatum eodem modo sunt affecti. Ergo philosophus a negotiis alienus non refugiet, nec abhorrebit ab huiusmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obstrepēs ac molestus, nec aures infarciens importunis ac sophisticis disputationibus. Verum cum his qui cupiunt, gaudebit

gaudebit & disputare & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis sex dierum iter sero, arua, fertilem Berecynthium agrum. *Senarii e tragœdia quapiam.*

Hic si non solũ agricolationis studiosus fuisset, verũ etiam hominum, num libentius sereret agrum, qui tantam hominũ multitudinẽ alere posset, quam illum Antisthenis agellum, quem aiebat sibi vix sufficere? Respõdens te malle. At si te rogem, num vniuersum orbem curandum suscipere velis, Recuso, inquis. Sane Epicurus *Epicurus* summum bonũ in ocio altissimo constituens, velut in portu tranquillo, qui nullis agitetur vndis, nullo strepat fragore, dicit non modo pulcrius esse beneficio afficere quam affici, verum etiam iucundius. *Sententia.* Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Sapiebat autẽ qui Gratiis indidit nomina, Aglaiæ, Euphrosynę, ac Thalię. *Nomina Gratiarum ab alacritate gaudio, & florulentia.* Siquidem hilarem esse & gaudere in conferendo beneficium id & maius est, & purius. Quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cum beneficiũ accipiunt, semper autem gaudent, cũ

requirere in amicitiis, neque fugere tamen, ſi cum modeſtis moribus hæc fuerint coniuncta. Neque enim philoſophus adoleſcẽtes requirit formoſos & venuſtos, ſed tractabiles, compoſitos, & dicendi cupidos. Neq; rurſum ſi quibus adeſt decor & forma, floſq; æui, id deterret philoſophum, neque pulcritudo alienat aut abigit a curandis his qui digni ſunt. Itaque ſi principis dignitas ac potentia ſimul contigerit homini modeſto & humano, non abſtinebit ab huius amore beneuolentiaque philoſophus, neq; metuet hominum rumores, ne dicatur aulicus & principum cultor.

Seuerii.

Quicunque Venerem fugit, inſanit nimis,
Non aliter atque hi, qui ſtudet bona tollere.

Similiter & iſti qui erga tam ſplendidam amicitiam optimatum eodem modo ſunt affecti. Ergo philoſophus a negotiis alienus non refugiet, nec abhorrebit ab huiuſmodi. At ciuilis eos etiam audire cupiet, non obſtrepẽs ac moleſtus, nec aures infarciens importunis ac ſophiſticis diſputationibus. Verum cum his qui cupiunt, gaudebit

gaudebit & diſputare & ociari, & libenter habere familiaritatem.

Bis ſex dierum iter ſero, arua, fertilem *Senarii e*
Berecynthium agrum. *tragœdia quapiam.*

Hic ſi non ſolũ agricolationis ſtudioſus fuiſſet, verũ etiam hominum, num libentius ſereret agrum, qui tantam hominũ multitudinẽ alere poſſet, quam illum Antiſthenis agellum, quem aiebat ſibi vix ſufficere? Reſpõdens te malle. At ſi te rogem, num vniuerſum orbem curandum ſuſcipere velis, Recuſo, inquis. Sane Epicurus *Epicurus* ſummum bonũ in ocio altiſſimo conſtituens, velut in portu tranquillo, qui nullis agitetur vndis, nullo ſtrepat fragore, dicit non modo pulcrius eſſe beneficio afficere quam affici, verum etiam iucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. *Sententia.* Sapiebat autẽ qui Gratiis indidit nomina, Aglaiæ, Euphroſynę, ac Thalię. Siquidem hilarem eſſe & gaudere in conferendo beneficium id & maius eſt, & purius. Quapropter multi ſæpe pudore ſuffunduntur, cum beneficiũ accipiunt, ſemper autem gaudent, cũ *Nomina Gratiarum ab alacritate gaudio, & florutentia.*

beneficium præstant. Porro de multis bene merentur, qui eos reddunt bonos, quorum opera plures indigent. Ac rursum q̃ semper corrũpunt principes, reges, ac tyrannos, nempe delatores, ab omnib. exigunt puniũturq;, vt qui nõ in vnũ calicem letale venenum mittant, sed in fontẽ publicitus scatentem, & quo vident omnes vti. Quemadmodũ igitur narrant, Calliæ adulatores in Comœdiis taxatos fuisse, q eos nec ignis, nec ferrum, nec æs arcere potuerit, quo minus ad cœnã ventitarẽt, teste Eupolide: porro Phalaridis ac Dionysij familiares & amicos magno tumultu expulerunt, torserunt, inusserũt, & execrabiles ac deuotos reddiderũt, q illi vnũ modo læderent, hi multos per vnũ imperiũ gerentẽ: sic hi qui cum priuatis hominibus habẽt consuetudinem, efficiunt, vt ipsi sibi molestia vacent, sintque innocui & placidi. Sed qui principis malos mores, aut sententiam mutat, vbi res postulat eũ emendans, is quodammodo publicitus philosophatur, ac rempub. corrigit, vt vniuersi gubernentur

nentur, ſacerdotib. reuerentiã & honorem impẽdunt, q; a Diis poſtulent bona non ſolum ſibiipſis, amicis ac familiarib. verumetiã in commune omnib. ciuibus, cum tamen ſacerdotes non id efficiãt, vt Dij ſint bonorũ datores, ſed tales cum ſint, inuocant. At philoſophi qui cũ principibus viuunt, eos reddunt meliores ac moderatiores, & ad benefaciendum ꝓpenſiores. Vnde par eſt, eos etiã magis gaudere. At ego quidẽ ſic exiſtimo, eũ qui lyræ fabricandæ ſit artifex, libentius facturũ lyram ac ꝓmtius, ſimul atq; cognouerit futurũ, vt eius lyrę poſſeſſor Thebanorũ vrbẽ mœnib. cingat (quẽadmodũ fecit Amphion) quã cuius poſſeſſor ſit Lacedæmoniorũ ſeditionem compoſiturus, incinẽs ac deliniẽs eos, ita vt fecit Thales. Itidẽ faber libẽtius faciet clauũ, ſi percõtatus, intellexerit futurũ, vt is Themiſtoclis imperatoriam nauẽ gubernet ꝓ Græcia propugnantẽ, quam ſi Pompeij nauem eſſet gubernaturus cum Piratis, nauali bello pugnantis. Quid igitur putas de doctrina cogitare philoſophum?

Similitudo.

nempe illud. Quiſquis hũc inſtituendum acceperit vir ciuilis, & apt⁹ principibus, is toti Reip. ꝓfuerit, exhibens iuſtitiam, condens leges, puniens nocentes, euehens moderatos ac bonos. Mihi vero videtur, & nauium opifex elegans libentius clauũ fabricaturus fuiſſe, qui audiſſet futurũ, vt is Argo gubernaret, ꝓ qua omnes eſſent ſolliciti, & faber lignarius nõ tam libenter compoſiturus aratrũ aut plauſtrum, quã tabulas illas, in quib. Solon leges ſcripturus eſſet. Et ſane philoſophorum rationes, ſi principũ & rempub. adminiſtrantium animis inſcribãtur, infiganturq;, ſic, vt inhæreſcãt, legem vim nanciſcuntur. Siquidem & Plato nauigauit in Siciliã, futurum ſperans vt philoſophiæ decreta & leges & facta gignerẽt in Dionyſij negotiis. Verum reperit Dionyſium ceu liberũ lituris egentem, ac maculis mendiſque plenum, nec remittentem tyrannidis tincturã, qua longo iam tempore fuerat imbutus, vt non facile poſſet elui. Faciles aũt adhuc & mutabiles ſint oportet, q honeſtas accipiant rationes.

MVSO-

MVSONII PHILOSOPHI TYRII SERMO AD Regem Syriæ,

QVOD PRINCIPI AVT Regi Philoſophandum ſit,

Stephano Nigro interprete.

MVSONIVS Philoſophus Tyrius cũ alia quamplurima ad vſum mortalium ſpectantia poſteris tradidit: tum vel inprimis ſaluberrima quædam præcepta; quibus Reges, humanarum rerum moderatores admonentur, ſibi maxime ſtudio eſſe ſapientiæ inſeruiẽdum. Nam cum eius domicilium ex regibus Syriæ quidam ingreſſus eſſet: dataque ac reddita ſalute inter ſe ſermones eſſent conferre auſpicati: tunc Philoſophorum ſuæ ætatis præſtãtiſſimus ita Regem allocutus eſt: Ne tibi perſuadeas, Rex inclyte, cuiquam eſſe magis, quam tibi, Philoſophandum: idque tibi ea maxime de cauſſa faciendum, quod regium obtines imperium. Eſt enim proprium Regis, poſſe homines & conſeruare, & beneficiis afficere. Oportet autem, vt qui multos conſeruare atq; officiis perſequi cupit, id præcipue teneat, quid ſit homini bonum, quid malum: quid proſit, Princeps Philoſophus.

quid obsit: quid vtile, quid inutile. Quod si pereunt quidem, qui in malum incidunt: seruantur vero, qui bona consequuntur: & beneficiis quidem afficiuntur, qui his digni iudicantur, quæ maxime & iuuent & vtilia sint: maleficiis vero, qui in damnosa atque inutilia impellūtur; quid sit bonum aut malum, quid conferat aut obsit, quid vtile aut inutile sit, discernere, nō ad alium, quam Philosophum pertinet: quippe qui in eo ipso continue versatur: huic vni rei studet, ne quid horū ipsum lateat: & hanc sibi artem facit, recte percipere, quid potissimum sit, quod hominem tam felicem, quam infelicem, reddat. Ex his euidentissime cōstat, Philosophari maxime Regem oportere. Præterea conuenit Regi, quin imo necesse est, ita subditis iura dare, vt ne quispiam plus, quam par est, consequatur: nec cuiquam præter dignitatem aliquid adimatur: sed pro dignitate ac meritis cuique suum tribuatur. Quo autem pacto hæc quispiam non iustitia præditus præstare possit? Iustus vero quomodo esse quis poterit, si, qualis sit iustitia, penitus ignorauerit? rursus itaque Regi Philosophandum est. Neque enim vnquam, nisi Philosophiam sectatus fuerit, æquitatem aut bonum æquum tenere posse existimabitur: Nec mehercule eum qui æquitatem didicerit, nō multo melius iustitiam nosse, quam qui non perceperit, dicendum est: nec vtiq; credendum, nō esse eos huiuscemodi rerum rudes atq; imperitos, qui nunquam Philo-

Princeps Iurisprudentiæ, ceu veræ, & non simulatæ Philosophiæ, cōsultus.

Princeps æquitatis & iustitiæ studiosus.

Philoſophati fuerint. Quo fit, vt ſæpenumero homines inter ſe contendant ac digladientur: cum alii alia æquiora eſſe confirment: quod profecto nequaquam facerent, ſi quod æquum, quod iniquum ſit in iure appellandum, proculdubio tenerent. Neque enim de candido ac nigro, calido & frigido, molli ac duro, quæ omnes, qualia ſint, non ignorant, vllum inter mortales oritur certamen: ſed de huiuſmodi rebus eadem omnes & ſentiunt, & fatentur: & ideo de æquo atque iniquo pariter ſentirent, ſi æqua ab iniquis ad amuſſim dignoſcerent. In quo autem vnanimes ac cōcordes non ſunt, id ipſum quale ſit, omnino ignorare videntur. Nec tu mihi, vt arbitror, huiuſce orationis expers es: vnde tanto eſt tibi diligētius æquitatis cognitioni vacandum; quāto Reges, quam priuatos, iuſtitiam ignorare turpius ducitur. Præterea & Regē ipſum modeſtia ac temperantia præditum eſſe & ceteros, quibus imperat, modeſtos ac temperātes reddere oportet, vt & hic modeſtius imperet: & ipſi honeſtius obſequātur: neutri autem delicientur. Nihil enim eſt tam regibus, quam ſubditis luxu ac delitiis pernitioſius. Quo autem pacto quiſpiam aut temperantia vtetur, cum imperare cupiditatibus haudquaquam didicerit: aut ipſe intemperantiā diffluens, alios modeſtos ac temperantes efficiet? Quæ autem ſcientia, præter Philoſophiā, ad modeſtiam perducat, nulla eſt. Hæc enim voluptates vincere, auaritiam peſſumdare,

Princeps moderatus & temperans.

Philoſophia cōmoda.

frugalitatem diligere, verecundiam seruare, linguam compescere, custodire homines edocet: quæ cum homini insunt, eum grauem, venustum, ac modestum reddunt; eoque magis, si rex aut princeps fuerit: tunc enim & deorum similis, & maxime venerandus exsistit. Vt autem quispiam intrepidus sit, audens & minime formidulosus; id præstat fortitudo; quæ nemini vtique inesse potest, qui in morte ac labore nihil omnino esse mali sibi non persuaserit. Hæc enim homines perterrefaciunt, & a mente deturbant, cum esse mala creduntur. Mortem autem & laborem nullum mortalibus adferre malum, sola docet Philosophia. Quare si fortitudo est regibus acquirenda, vt omnino est: nulli debent rei diligentius vacare Reges, quam Philosophiæ: cum alioqui fortes ac strenui esse nequaquam valeant. Sed & si quicquam aliud, hoc maxime est regium, dicendi facultate minime superari: & haud secus decertantes secum oratione, ac pugnantes armis hostes vincere. Nã si hac in re imbecilles se esse Reges ostenderint; necesse erit, vt quam sæpissime seducantur: & falsa pro veris interdũ admittant: quod maximæ imprudentiæ, extremæque est indicium ignorantiæ. At nescio an Philosophia quicquam magis mortalibus largiri soleat, quam vt ne oratione superentur. Nam qui Philosophiæ operam nauauit, vera & quidem facile a falsis discernit: & hæc quidem facile redarguit: illa vero constanter cõfirmat. Rhetores

Princeps fortis & magnanimus.

Princeps eloquens & dicẽdi peritus.

tores igitur si quando in certamen cum Philosophis descenderint, adeo ipsis inferiores reperiuntur: vt interdum & in dicendo deficiant, & inter se contraria dicere cogantur. Quod si Rhetores, qui sibi hoc vnum proponunt, hoc solum meditantur, vt dicendi copia ceteris præstent, ipsis Philosophis longe imbecilliores in dicendo deprehẽduntur: quid de ceteris hominibus suspicari debemus? Quare si quis regia præditus dignitate, victoriam in orationibus exoptauerit, sibi esse Philosophandum sciat, vt ne in hac quidem re se a quopiam superari posse timeat: cum præsertim vbiq; intrepidum esse regem atq; inuictum esse, deceat. Est autem & omnino necesse, vt Rex bonus ita se gerat, vt nec verbo nec opere vnquam delinquat, omnique in re cõsummatus exsistat: siquidem Priscis videbatur, Regem ipsum animatam esse legem; iustitiam quidem ac concordiam machinantem: iniquitatem vero ac seditiones arcentem: animoque in subditos paterno Iouem æmulantem. Talis autem quo esse modo quispiam potest, nisi quadam præstantia a ceteris differat: optimaque sit disciplina imbutus, easque omnes virtutes assecutus, quę hominem deceant? Quod si alia est scientia, quæ hominis naturam, & ad virtutem ducat, & ea quæ honesta sunt, adire atq; exercere doceat; cum ipsa Philosophia conferatur: & vtra facilius optimum ac præstantissimum efficere Regem valeat, iudicetur; vt qui bonus

Princeps lex animata, Dei imago.

& esse & haberi rex concupiscit, potiore vtatur. Sin autem nulla alia ars ne pollicetur quidem virtutis traditionem ac disciplinam: sed aliæ quidem circa corpus tantum humanum, & quæ ipsi corpori vtilia sunt, versantur: aliæ vero etsi animi cultum attingunt, cetera tamē omnia potius, quam vnde modestior ac temperantior reddatur: hoc machinatur, quo pacto homines malitiam quidem declinent, virtutem vero cōsequantur. Si hæc ita se habent, quid est, quod ab eo, qui optimus esse rex cōcupiscit, Philosophiæ sit studio præponendum? Ego quidem nullum esse bonum Regem censeo, quin statim & Philosophus necessario sit: nec cōtra vllum essePhilosophum existimo, quin & rex sit. Primum itaq;, quod prius est, speculemur; nunquid fieri possit, vt quispiam vir non bonus existens, bonus rex sit: non vtique est dicere. Bonus autem vir nemo esse potest, quin & Philosophus: per Iouem siquidem Philosophari, honestatis ac bonitatis studium præ se fert. Quare bonum regem necessario statim & Philosophum esse fatendum est. Nam si gentes bene moderari, ciuitates prudenter regere, prouincias recte administrare, hominibus merito imperare maxime regium est: quis aut melior ciuitatum præfectus, aut dignior ac præstantior hominum Imperator Philosopho inueniri potest? Quem, si vere est Philosophus appellandus, & prudentem esse decet & temperantem, & magnanimum: necnon & æquitatis obser-

Philosophus rex, & rex Philosophus.

Rex bonus eiusque virtutes.

obseruantissimum, laborum patientissimum, inuentorum exsecutorem: prælia audentem, intrepidum eorum maxime, quæ ceteris terrorem incutiunt, tolerantem: item beneficum, humanitatis ac frugalitatis studiosissimum: quo quidem viro quis ad imperandum accommodatior excogitari potest? Nullus profecto. Quod si non multos sibi obsequentes atq; intemperantes habeat, non propterea tamen regia priuatur dignitate. Satis enim est, si exsistentibus amicis imperat, aut vxori, aut filiis, aut denique sibi ipsi. Neque enim qui paucos curat, minus est medicus cognominandus, quam qui multos, modo medendi peritiam teneat: & qui paucos docet, non minus Musicus est dicendus, quam qui multos, modo Musicam habeat facultatem: & qui vno aut duobus equis, haud secus est equestris, ac si plurimis vteretur, modo equitandi peritiam fuerit assecutus. Eadem igitur ratione quis paucis imperat, non minus regium meretur cognomen: quam qui etiam innumeris dominatur: modo regnandi sit peritus experientia. Quod cum & Socrates non ignoraret, Philosophiam ipsam ciuilem ac regalem scientiam nuncupauit. His Musonii præceptis vsque adeo est Rex oblectatus, vt & eius orationi maximas statim egerit gratias: & petendi, quodcunque vellet, optionem non recusaturus obtulerit. Quod cum audiuisset Musonius: Peto (inquit) vt his quæ tantopere commendas, obsequaris: quod si feceris, &

Regis est, non tam suis, quã sibi imperare, & seipsum regere.

mihi ſummopere gratificaberis: & maximam inde vtilitatem cõſequeris. O regiam Muſonii magnanimitatẽ! qui ſatis ſe muneris a beneficentiſſimo Rege accepiſſe profeſſus eſt: ſi ea ipſe diligenter imitaretur, quæ optimum ac præſtantiſſimum Regem eſſent reddituræ.

IMP. MANVELIS PALÆOLOGI CÆS. BYZANTINI AVG.

CROESVS, XERXES, GYGES Siue DE BONO PRINCIPE COMMENTATIO.

Ioan. Leunclauio interprete.

QVi boni principes eſſe volunt, & mentis aliquod pondus habent: qui publicam ſpectant vtilitatem & bonarum rerum amantes, nihil veritate ducunt antiquius: iis ſane nulla res vſui magis eſſe poteſt, quam recte loquendi ſcientia. Potius enim hoc eis eſt, omnem extra controuerſiam, quam opum copiæ: præſidii plus hoc habet, quam Crœſi regis theſauri: plus roboris, quam immenſus ille Xerxis exercitus: plus virium cum honeſto, quam Gygis illa fabuloſa pala: denique tanto his & efficacius, & maioris eſt pretii; quantum ne dicendo quidem explicari facile queat. Et conſideremus ſane quemlibet horum, quos diximus:

quæq; vis earum rerum fuerit; quibus illi rebus se patrare magnum quoddam ac nobile facinus posse putarunt. Deinde nostro hoc commendatum Sermone ad eos comparemus, Principem cetera quoque talem, qualem statim ab initio delineauimus: quippe si hoc quodam modo examen instituatur: haud facile nos a vero aberraturos arbitror. Ingens igitur illa vis auri, magnos ob eam gerentem animos Crœsum exspectatione sua frustratum elusit: quamque spem posuerat in pecunia; quæ nulli quod esset vsus, mortua quasi iacebat: ea plane ficulnum ei præsidium fuit. Imo propter hoc ipsum aurum, præterquam quod nihil eorum perfecit, quæ spe destinauerat, etiam periit. Neque vero nouum aut absurdum, mea quidem sententia, rem aliter cecidisse, quam illius erat opinio: qui fiduciam non in virtute, sed metallis collocauerat. Nam illa recte vtentibus ceu par est, eaque cum prudentia, quæ virum decet, pulcerrimum vitæ huius ornamentum esse videntur. Qui vero solam thesaurorũ collectionem respiciunt: eamque tum felicitatem, tum finem ipsum statuunt, iis opes ad interitum seruiũt, infamięque caussam maximam præbent. At Crœsus ille noster, qui maiorem congerendarum opum, quam ipsius, vt arbitror, Dei rationem habebat: & a solo pendebat auro; illo inquam auro, quod iis erat simile lapidibus, qui profundis in aquis abditi, nullam ad rem sunt vtiles, nisi fortasse naufragiis vt oc-

Crœsi opes cum Solonis Sapientia collatæ.

Quod Regem Solonis Sapientia potius, quã Crœsi decear opulentia.

casionem præbeant; omnia se perfecturum gloriabatur. Nam quod oculis animi cæcutiret, ob auaritiæ morbum: remotiora, quam quæ ante pedes erant sita, prospicere non poterat. Quo fiebat, vt immensam auri vim defossam, pro salute, pro deliriis, pro regno duceret. Ob hanc caussam aduersus omnes nimium quantum tumens, nec vllam capiens quietem, nec vino se inebrians, tãtum in sermone delirabat, & illo quidem cum viro colloquens, qui veram ad felicitatem aurum nõ nisi pro ludibrio habebat: etiamsi quis integra saxa in aurum conuersa, eius ad pedes abiecisset. Erat hic Atheniensis ille legislator, cui nomẽ Solon: quem homines admirabantur Athenis illis aureis, quę plenę id temporis admirabilibus erant viris. Et qui non æquum erat omnes illũ admirari? Nam inter tot præclaros & egregios viros, qui referti copia plurium honestarum bonarumq; rerum essent, vnum aliquem quocunq; modo ceteros anteisse parum abest, quin fidẽ superare videatur. Hic tamẽ & inter illos, secundum Deum, venerabilis erat: non quod aurum possideret, ac suppeditaret. Non enim abundabat auro, nec argentũ habebat in pretio: nisi recte colligeretur, & melius expenderetur, & in loco vtrumq; fieret. Quippe nec ipse, nec illi, quos dicto audientes habebat, tantopere putabant expetendas illas auri massas: quarũ sane mancipi[illegible]m cum Crœsus esset, pro domino se gereret. Vnde [illegible] curę Soloni fuit, vt artem aliquam

quam ciuibus suis inueniret, quo omnino ditescerent: non hanc metallicam, nec illam, opinor, cui ab auro conficiendo nomen est datum. Non has ob res vir optimus ab optimis viris, maximus a maximis habebatur, & tunc quoque cunctis fuisse videtur: sed quod præter alia multa præclaraque facta, quæ præcesserant, leges bonas ciuibus omnimodo bonis tulerit. Tanto vero præstiterunt operæ priscis legibus, ab ipso factę: quanti venit ęstimandũ, quod hæ postremæ fuerint, & æternum ciuitati durauerint. Nam visæ sunt illis, quibus erant latæ, publicis ipsorum ornamentis, quanquam ea ciuitatum aliarum ornamenta superarent, longe illustriores: ipsaque arce, quam munitiorẽ ceteris vbiq; terrarum existimabant, insigniter munitiores: longo denique interuallo rebus illis, quibus se iactabant, meliores. In hunc ergo modum Solon sapientiæ culmẽ attigit: quod ea præ quouis auro in pretio haberetur. At Crœsus adeo temulentus ex illo vitio suo animaduertere non poterat, qualis hic vir esset, & apud qualem hominem gloriaretur. Quos enim vitium hoc semel occupat, eorum animis quandam sui perpetuam sitim instillat: quam illud ipsum, quod percipitur, nunquam non magis ac magis augens, vti materies ignem & flammam, mẽtes correptorum hoc morbo vitiat: quippe fieri nequit, vt qui æger est animo, mente sanus sit. Id etiam Crœso vsuuenit. Argumento est, quod Solonis ad ipsum monitus

consiliaque respuerit: quę vel Vlysses, vel Nestor, vel quiuis alius, ciuili sapientia longe ceteris præstans, merito reueritus, meo quidem iudicio, fuisset: ac suismet decretis anteposuisset. At Crœsus non ita: sed tantum non ridere senem, spesque de pecuniis prorsus inutilibus conceptas, & vanas quidem, ducere potiores admonitionibus reapse aureis, quæque salutis & gloriæ parandæ rationes suppeditarent. Vsque adeo ab auro redactus in potestatem erat, idque solum admirabatur: donec ipsa didicit experientia, seque deceptum cognouit. Nec multum, opinor, temporis intercessit, cum mortuum illud aurum fecit, vt eum nullo iam cum fructu pœniterat, tum erroris de auro sui, tum profectorum ab amētia verborum: quibus, castiganti non obtemperans, vsus fuerat. Qui enim heri nudiusque tertius se propter opes magnifice iactabat, attollens supercilia, summisque pedum digitis incedens, & ad cœlum vsque ceruicem porrigens, totusque tumens aduersus homines se meliores, quo tempore cum Solone Atheniēsi colloquebatur: hic ipse post breue tempus, vt arbitror, propter illos ipsos metallorum aceruos alta voce plorare conspectus est; Solonis illius Atheniensis recordatus: cum ignis in eum insiliret, & quod in opibus fiduciam collocasset, obiurgaretur a Cyro: qui subditorum beneuolentiam, & præsidii loco, & thesaurorum, & quarumuis rerum, quibus & incolumitas, & prosperitas regia continetur,

tur, austri magnitudine comparauerat. Quin de illa re, quodnam esset tum sapientiæ, tum opum discrimen, apparuit. Nam propter opes is, qui eas possidebat, exustus fuisset: at Solonis nomen, obiter expressum, e flammis hominem eripuit. Quippe non salutis impetrandæ caussa, Solonis nomen Crœsus ingeminabat: sed quod magnopere virum admiraretur, quo tempore lignis impositus iacebat, cum eisdem concremandus. Videbat enim, sapientiam Solonis etiam vaticinandi vi præditam. Et hæc quidem clarius cognoscere poteris, si pellegere alios volueris historicos, ac præsertim Herodoti Musas. Nobis ista sane sufficiant, quibus & sapientia paucis laudata sit; & ostensum, reapse nihil esse diuitias, nisi alterius rei caussa colligantur, & ob eandem rem dispergantur: atque horum vtrumque non per iracundiam, nec iram, nec cupiditatem parum honestam, sed cum ratione fiat. Quippe tantum a nobis de re proposita dictum arbitror, quantum mente præditis satis sit ad agnoscendum ex vnguibus, quod aiunt, leonem, aut ex lacinia pannum. Nam mihi quidem hoc postremo loco dictum, videtur esse quasi lex quædam rectæ collectionis thesaurorum, vel secus institutæ. Ideoque supremum hoc tam de diuitiis simpliciter, quam de Lydorum regis ingenio prolocutus, amplius de eis dicere supersedeo. Traducenda vero ad ingentem Xerxis exercitum oratio, & ad illas copias, quæ fama pariter ac

Quod Regis virtus magis, quam Xerxis profit prudētia.

minis omnes fines & trepidare compulerunt atque conquassarunt: quæque in complura terræ loca fluminis in morum delatę, vbi nulla virtus erat, quantum illi fiduciæ quæso suppeditabant, qui eas splẽdida quadam spe collegerat? quãtum pœnitentiæ deinceps inutilis attulerunt? Et merito quidem: nam simpliciter ex rebus prospere gestis, maiora præteritis coniicere dabant. Sed quoniã illa fortunæ, nõ virtutis erant: idcirco superbientes aduersus hãc, vates minime veraces exstiterũt. Quo enim pacto fortuna virtutẽ vicerit, nisi Deus iratus sit, & conniueat? Quod sane manifesto apparuit tum de superiorum temporum facinorib. Græcorum egregiis: tum vel maxime, quando vniuersæ copiæ Persicæ Athenienses adorti sunt; admodum illæ quidem acriter, vt ceruos leo solet: sed mox in pedes sese conii-cientes, quasique ceruorum more leonibus terga dantes, qui ne latratum quidem ferre possunt: tum vero de iis, quæ passus est, recte Rex didicit, non multitudinem, sed virtutem vbique vincere: nec cum bonis, etiamsi pauci sint, multos esse comparandos: licet omnes ordine fines in ditionem redigunt. Nam & cõiuncta cum virtute paupertas iis est honestior, qui absque virtute diuitiis abundant: & obscuris nati parentibus hoc modo lõge sunt clariores illis, qui ob nobilitatem sese iactitãt. In vniuersum denique coniuncta cum virtute, clara sunt: & secus, virtutis expertia. Sed consideremus accurate, si placet, exercitum omni

omni numero superiorem, si quis eum recensere velit: qui quoniam facile complures ad gentes irruere potuit: omnium postremo, pessimo fato suo, terram adiit alentem homines, qui honesto ac virtute cuncta postponebant. Hæ vero tales ac tantæ copiæ, totum Asiæ robur, vel vniuersa potius Asia siquidem & ipsa quoque Libya non aderat; quæ sibi conuenire putabant, vt per mare pedites incederent; terrasque solidas & continentes nauigiis transiicerent; & vrbibus numerari medimnorum in morem repararunt: & inusitatis rebus vsque adeo studebant, vt pusillum ducerent, si non his solis omni subiecta terra potirentur. (Turpissimum namque fore, si vel bello esset opus aduersus quoscunque mortales, aut aduersus omnes pariter:) hæc ergo multitudo barbarica, qua inferior omnis erat cogitatio, a paucis admodum victa militibus est: sed qui digni multis erant premiis. Erant hi Athenienses, quos armorum peritia, & animi fortitudine, multis atque claris potitos coronis, tum priscis, tum proximis temporibus, ne id quidem prælium iisdem spoliauit: imo longe pulcrioribus & maioribus, quam illæ priores fuerant, hæc eis beneficiens pugna caput ornauit. Par.n.erat, vt quod prælium pulcrius atque maius fuisset aliis omnib. antea pugnatis: id tam sibi, q̃ militib. qui rem p̄clarissime gessissent, consimilia quoq; pr̨emia donaret: ob reuerẽtiam partim veræ magnanimitatis, quæ insigni generosi-

tate ſplenderet; partim fortitudinis eximiæ, quæ & modeſtia maxima eſſet ornata, & conſimili prudentia conſpicua, ſemperque iuſtitię comes, cum virtutibus eis ſubiectis. Nam quod particulare eſt, a magis generali & cognato neceſſe eſt comprehendatur. In hunc modum affecti erga omnem virtutem Athenienſes, pacem pluris faciebant, quam multorum terræ iugerum adquiſitionem: ſimulque Perſas, iniuriarum auctores & auaros, non à ſolo tantum ſuo patriiſq; ſedibus, verum tota quoque Græcia depellebant. Et hæc ſane facere non deſiere ſumma cum moderatione: quæ cepiſſet olim ab ipſis maiorib. cum præcedente bonis in rebus omni excellentia: meritoque velut hereditas quædam deuoluta eſſet ad poſteros frugi, frugi parentum æmulatores. Norāt enim, ſi hæc non adeſſet, ne quidem vniuerſam virtutis vim homini prodeſſe poſſe: de qua moderatione ſtudioſius aliquid per otium, diuino iuuante numine, ſuo tēpore proferemus. Nunc iis, quæ propoſita nobis ſunt, inſiſtamus. Licet ergo, quæ virtutis præſtantia ſit, omnes ignorarent barbari: regem ipſum id ſaltem ignorare non oportuit, neq; putare futurum, vt hominum copiis eos in poteſtatem redigeret: qui bello cedere mallent, quam turpe quid admittere. Quippe tēpus ipſum declarauit, his viris longe fuiſſe carius: ſi armati pro rebus ſuis dimicantes, occumberent: quam aliis, voluptati & ignauiæ deditis, grati ludorum feſti dies eſſe ſoleant.

ſoleant. Xerxes vero proſperorum ſucceſſuum crapula quadam impulſus, & furore profecto de ſpe gerendarum feliciter rerum, veluti mare prius verberari iuſſerat, quod vẽtis præter voluntatem ſuam cederet; ita putabat hic quoq; (o intemperantem audaciam) paulum fumi de igne, qui eius in animo flagraret (de iracundia rationis experte dico) Græcis funditus abſumẽdis ſuffecturum. Sed nimia vis abſurdi ſtudii nihil ei peperit honoris, ac diuerſum potius exitũ ſpei dedit. Nam qui rumoris tonitru complurium perturbauerat animos; eoque redegerat, vt imperata ipſius anticipantes, ad pedes eius ſeſe proſternerent: dum abſque labore ſe Græciam quoque ditioni adiecturum imaginatur; totamque ſe Græcorum nationem capturum, ceu pueros quoſdam, qui delicias in foro facerẽt, & ludicris intenti eſſent, nec vllum aliquod opus virile deguſtaſſent: ſed tantummodo ſaltare didiciſſent, ac laſciuire: nec nõ mulicbres & ingeniis eſſent, & animis & educatione: ferox inquam ille ſupraq; nubes elatus atq; ſuperbiens, qui tanto cum faſtu Græcorum in bona pedem inferebat, vt eorum terram quoque ſatrapis ſuis cum poteſtate tenendam diſtribueret, ac ſi pridem illam occupaſſet: hic ergo, quanta cum feſtinatione domo profectus, Græciam curſu petebat; vbi victorias ipſe ſibi ſomniauerat, ſtatuendaque de hoſtibus trophæa: tanta viciſſim cum properatione repetebat aduerſus amnes à cum ne primũ

quidem conflictum sustinere potuisset. Nam quantopere versus hos impetu celeberrimo pergebat: tantopere vicissim ab illis turpi discedebat fuga; iam alius plane tam corpore, quam iudicio animoque factus. Omnibus ob festinationem intolerabilis erat: Desiderabat terram Persidem: fumum eius, exemplo vagabundi Vlyssis illius Homerici, desiderabat: etiamsi quid fumo deterius, admittere gestiebat; modo domi versaretur. Quo fit, vt equidem arbitrer, hunc virum adeo fuisse mutatum, vt coronis & triumpho, atque omni victoriæ splẽdore valere iussis; aliud nihil, quam fugam, ne quidem mancipia decentem, admiraretur. Nec absimile vero, si quis eum puellis gynæcei spectandum exhibuisset, æqui bonique facturum fuisse, si vel ab eis, fugæ muliebris caussa, colaphos acciperet. Nam quia subito mutatus erat animus, vna cum cogitationibus: iamque tantum metuebat, quantum antea se terroris incutere putabat: non ad fugiẽdum domum, egere se pedibus arbitrabatur; nec equis, vi cursus ipsos ceruos superantibus: sed alis simpliciter, & earum quidem auium, quę leuitate ceteras excedunt. Satis homini strenuo, Hellespontum vel rate transiicere, quod natare non posset. Vsque adeo de alio in aliud, & in contrarium potius mutatus erat. Nam qui densa nauium coacta copia, & accurata earundem commissura, ceu ponte quodam tale, tantumque mare constrauerat: quod ex Asia in Europam eadem vti transie-

ctione

ctione cum ceteris ante se, recusaret: maiore cum animi deiectione atque humilius transfugit; quam vel ipsa mancipia, vel calones faciant, nunquam respiciēdo, cursum illū suum semper vrgens. Optabat, arbitror, nequaquā amplius in sequentum manus euadere: de quē ceteris omnibus leuiter sollicitus erat. Hoc ipsum persequebatur, vt aufugeret, vt terga daret, vt versus Orientem Solem itinere contento, nec intermisso pergeret, vt non dormiret, nō quiesceret, nusquam subsisteret. Nam caram illam prius Europā qui putas id temporis oderat? Inter currendum mente domi totus erat, domum clamabat, domum cursu tendebat; manus in anteriores dirigens, eisq; vim magnam adhibens, tantum non pugnos ingerebat. Eosdem voce, quasi flagello, cōcitabat; quod nullus pro suis re contentus adquiesceret, quæ non eadem ipsum hora in patriam quasi fundæ ictu trāsferre posset. Vnde fiebat, vt cum eos ob singulare in cursu studium admirari deberet, qui a tergo ipsummet adeo festinantem relinquerent; contrarium potius ageret, eosq; grauiter accusaret. Quippe celeritatem eorum, ipsius ad fugam alacritas, pro tarditate quadam habebat. Semper exhortabatur comites cursus, nec in eo se superuacaneum aliquid facere animaduertebat. Non enim illi ferendum vlio modo putabant; si non eundem cum Rege cursum conficerēt: quos idem cum illo metus in errorem impulisset, quiq; prorsus ab initio fugę se cum

eo dedissent. Si qui nequirent consequi, eos ad coruos abire iubẽs, sua se vir strenuus persona dignũ quid agere putabat. Nã totus erat in fuga, totas laxauerat habenas, alius rei nullius, quam temporis, rationem habebat. Quin etiam pro cãpestri, per montuosum, pro arenoso, per saxeum, pro læui, per iter asperum obliquumque tendebat. Diem pro nocte ducebat, noctemque profundam pro clara luce. At qualis vir obsecro? qui calente meridie, cęlo sudo, campum æquabilem & planum, nec vlla re molestum, gradatim ac tarde, præ magnificentia fastuque, vix alioqui transiret. Atqui modo si comedendum esset, aliudue quid rei necessariæ faciundum, id, siquidem vrgeret, equitans (credo) faciebat. Vsque adeo præ formidine mentem velut amiserat: nec vllam vel honesti, vel decori rationem habebat. Vsque adeo prorsus a cogitationibus, tantæ maiestati cõuenientibus, destitutus; præterquam quod nullius eum rei puderet; nec periculi quidquam ad animum reuocabat, nõ ignem, non feras, non ruinam, non cœnum, non scopulum, non præcipitem locum, non famem, non ipsam infamiam: Omnia molesta pro festo, dira pro ludorum celebritate ducebat, nihil ei formidabile, præter Athenienses, nihil exceptis illis, fugiendũ, his solis omnes omnino debere primas, in rebus omnibus concedere, nec id facientib. vllo modo pudori esse posse. Quid multis opus est? omnia indecora pro honestis, omne damnum pro lucro ducebat,

bat:modo saluus domum reuerteretur. Itaq; non erubescebat, quod alium prorsus ex alio se factum ostēderet: nec graue putabat, si hominum in oculis etiam deteriora pateretur: quam quæ paulo ante minabatur iis, a quibus hæc patiebatur. At vero quid dici turpius hac mutatione possit extrema, tam subito facta? Ranæ, si nulla res terrorem incutiat, in altum se nō demergunt, vt abditæ palude nusquam appareant. Hic vero, qui nulli mortalium, qui vnquam extiterunt, imaginationib. ex se cōceptis par erat, id facere sustinuit, quod ne lepores quidem faciunt; fugiebat, currebat, non quiescebat: cum nec persequentem cerneret: nec vmbram eius videret, aut vocem vllā audiret. Fortasse consolabatur hominem hæc perferentem, atq; etiam incitabat (credo) ad summam & incomparabilem hanc insaniam: quod eos, quos antea socios habuerat arrogantiæ, nunc nihilo se segniores fugæ socios conspiceret. Nam nihil eis erat antiquius, quā vti domum redirēt. Cum hac reuersione Rex nec illa commutasset, absq; quib. antea ne viuere quidem voluisset: huic omnia postponebat: ipsumque adeo regnum, iure debitum ei patrimonium, quod amplissimum a patre acceperat. Nimirum metus, vti videtur, si semel animum occupauerit, admirabilem vim habet ex eo pellendi omne bonum, in consentanea decentique ratione id animus adquirat, eiq; tempus ad aliquod adsit: quod vbi spatiis quibusdam intercedentibus, animo bonum

ipsum infixerit, solidumque fecerit, immutabile redditur. Trepidatio si mentem vulnerauerit, immodica corruptam formidine, facile eam momento impellit, vt cum magnis & valde splendidis rebus, vilia ridiculaq; commutet, ac plena difficultatis, odioq; & execratione digna, veluti si his cōtraria forent cum voluptate, solam molestæ rei propulsitionē spectans, suscipiat. Hoc cum huic quoque Regi accidisset, regnum ipsum vilipendens, adorationem paruifaciēs, qua prope cunctis a gentibus colebatur; pro nihilo ducens, quod suis a subditis ei cultus prope diuino par exhiberetur: neglectis & solennitatibus, & ludorum celebritatibus, quibus alioqui delectabatur: regiasq; cum lauacris & paradysis aspernatus, quæ cuiuis rei præferre solebat: itemque, mea sane opinione, illas ipsas insulas, quas eorum temporū deliri homines beatis attribuerunt, cum herbosis illis pratis, & Elysio campo, & aliis huiusmodi omnib. priuati hominis sortē laudabat: ac seruitutem tolerare paratus erat, omniaq; ferre, modo saluus euaderet. Gemmarum vero, quib. & multis, & pulcris, & magnis ornatus erat, aureæq; platani, & fastus omnis oblitus: paupertatē amplectebatur, eiq; maiestati anteponebat, qua ipsi tantum non immortalitatem largiebatur. Nec abs re quis dixerit, eum, quo tempore nemo non ipsi adsentando blandiebatur, futurum putasse, vt immortalitatis quoque, ꝓpter regnum, particeps fieret. Id enim semper in melius tū cura,

tum

rum virtute sua prouehēs, loco pontis & gradus ad speratam immortalitatē sibi fore credebat, atq; hanc vicissim, post lōgam in terris cōmorationem, regni præmium. Sed fieri nō poterat, vt animo mutatus, mentem immotā retineret. Itaque mox & regnum, & quicquid eius esset generis, vt augustę rei nomen regno cōciliaret, memoria exclusit: quæq; regno iucunda inessent, existimata ceteroquin ab ipso tam ambrosia, quā nectare potiora, prorsus e cogitationib. eiecit: quodamque modo illius pristinæ stolidæq; insaniæ ne quidem meminerat, vt equidē arbitrer, si quis de regno, deq; regni bonis ad eum id temporis disseruisset, & molestissimum ei futurum, & fortasse reprehensionē quoq; subiturū fuisse. Atqui prius, cum ab omni sobrietate prorsus alienus esset, & admittebat, & amplectebatur, & largiter remunerabatur, si qui eum pari cum diis cœlitibus & cœlesti gratia perfruentib. honore coluissent. Sed.n. de priorib. ad contraria traductus, nō iam pristinus ille Xerxes erat, qui hæc tum agebat: celebris inquam ille, magnus, audax, elatus, insolens: qui parū aberat, vti quidē apparebat, quin cum ipso Deo certamen susciperet: sed alius ab illo quondam Xerxe, planeq; diuersus. Nam ex pœnitētia, quasi graue caput esset, oculos in terram defigere: non illius erat superbiæ prioris, cui primis ab annis innutritus erat, & absq; qua, ne temporis quidem momento, conspici poterat. Itaq; materie Xerxes idem manens (nā fieri naturæ mu-

tatio nequibat) forma extreme mutata: cunctis maximam de se præbebat admirationem, non moderate se gerendo, (quonã id pacto?) sed vice versa, q Philosophiam, moderationis magistram, non degustasset. Ab ea destitutus, in vicissitudine rerũ adeo inhoneste se gessit, vt & polypos obscuraret: & chamæleontes, meras præ se nugas faceret. Nam heros iste, vel qui potius ipsos anteire se putabat heroas, animo tunc deiectiore, quã Irus ille mendicus erat. Sic ad abyssum ex æthere decidit: tam superciliis, quam tumore spiritũq; deiectis, cum leonina pelle, ferocia quoq; deposita: tam absolute deniq; mutatus ex alio in aliũ, vitam vt ipse suã odisset: amentiæq; ac vanitatis pristinæ poenas ipse quodam modo de seipso sumeret: quanq̃ animo illa puro spontaneoque non faceret. Cumq; regia dignitate præditus esset, eaq; faceret, quæ vel mancipium aliquod pudore ꝑpeditum nõ cõmisisset, ꝓdigiosum quoddam monstrũ esse videbatur. Nã quod vir hic modum, ceu par est, amplecti, suiq; rationẽ habere nunquam didicisset: de superbia petulantiaq; summa, summã ad abiectionem, mancipiis conuenientẽ, cum dedecore exorbitauit. Ita quicquid barbarũ & expers est doctrinæ, si ꝓsperitate fruatur, intolerabilem in modum erga humiliores se gerit: sin ille quasi fons insolentiæ debilitetur, vel mancipiorum ludibria facile feret. Sic & iste Rex tali ꝓgnatus genere, verèq; doctrinę ignarus, duntaxat incolumitatis studio ductus, tam grauibus laborauit

borauit vitiis, & in extreme diffidentia incidit. Nam viuẽdum sibi nõ arbitrabatur: nisi deferrent ad eum munera: nisi adoraretur & a finitimis, & a suis omnib. tam circa Persidem vndiq; sitis, q̃ remotis longissime gentib. Hic ipse nudatus in bello cunctis, ꝓpe dixerim, facultatib. mox & arma illa splẽdida cum omni ornatu regio lubens abiecit, vt leuior esset, ac facilius ab equis gestari posset, qui contento cursu grauiter affligerentur. Nonnunq̃ & ꝓbra suorũ facile tolerabat, quos antea præ fastu ne quidẽ intueri dignabatur. Vsq; adeo pristinus ei status ad lõge diuersum rediit. Nã quod animę vitęq; suæ vir talis metueret, id ipsum ei ꝑsuadebat, vt lubenter ferret, quicq̃d acerbitatis animo quis cõceperit, quicquid afferre molestiã & mordere põt persuadebat, vt nudus ab iis conspici cuperet, domi qui mãserãt: idq; duceret illustrius omnib. quæ vnq̃ adeptus fuerat, spoliis: quibus cum Susa reuerte (Quib. obsecro verbis insaniã quis explicet, qua in his vtebatur?) nõ modice triũphare solebat, acclamantib. & plaudẽtib. iis, qui occurrebant, tantumq; nõ ei cuncta Deo paria deferentib. Quod. n. magnã ꝓsperitatem ꝓ virtute sua duceret: & ob successus immodicos suã ipse mollitiẽ non sentiret; sed ꝓculcaret meliores se quidẽ viros, tantarũ tamen copiarũ multitudini cedẽtes, & ab infesto inuidoq; dæmone illusos: quasi Gigas quispiam, vel Hercules, vel ex Olympo qui descendisset, insigniter alios contemnens, nihil magnum, nihil augustum erat, quod se decere nõ arbitraretur.

Extrema namque correptus amentia, quantis poterat virib. in sublime caput attollens; tantũque nõ volare videri volens, quotiens in regio solio consideret: cottidianos illos ac tantos honores, qui supra dignitatẽ ipsius essent, omnino corporis animiq; sui dotib. eximiis competere putabat. Quippe verbũ illud, *Nosce teipsum* pro fabula ꝓrsus habebat; vel nec audierat, nec audire volebat. Norat ille quidẽ, se calcare terrã (quo .n. id pacto nesciret?) sed verticẽ credo suũ opinabatur ab illo cœlesti fornice nõ multũ abesse. Nã, vt hæc de eo cogitemus, ipsa hominis vita facit; ac sit ita sane: nam de his fortasse satis.

Quod Regem magis promoueat sapientia, quam tyrãnis, exemplo Gygis.

Tempus aũt fuerit, vt egregium illud Gygis facinus in medio ꝓductũ, examini sistamus. Erat igitur hic fortuna & cõditione quidem opilio: sed Lydorum tyrãnus factus est, idq; per inuersionẽ palæ, ceu perhibent: siquidem fabulam ipsam nõ repudiabimus. Itaq; merito palæ quidem illius artẽ admirabimur: si quis hanc Lydiã fabulam, ceu quiddam verissimũ, admittẽdum concesserit: at eum, qui hac arte rem peregit & confecit, nunq̃ beatum, si recte ꝓnuntiare volumus, nunq̃ magni faciendum arbitrabimur. Quamobrẽ istud? ꝙ ipsius machinę perfectio nõ ꝓprie bonum. nec beatũ, nec admirandum quid esset, mente p̃ditis. Nam ꝙ a virtute nõ est, nec bonum est ꝓprie: ꝙ inanimæ quoq; res vniuersæ clamabunt. Qui virtutis exsors est, etiamsi potitus regno, ꝙ ipse vltra Gades sit, porrigat; omnes opes, omnia mancipia collegerit, & omnia quæ in hac vita iucũda sunt: ac his deinde fruendi tantum sibi concesserit temporis

quantum lubitum fuerit: nugæ isthæc virtute pditis. Quicquid.n. vel gestũ est, vel percipitur, si cum virtute, bonum: sin aũt, contrarium. At Gyges virtute nõ est adeptus tyrannidẽ, quod sane vel hinc patet. Nihil.n. virtuti commune cum tyrãnide: nec tyrannide oppressorũ bona cum voluntate, p. sse tyrannus potest. Quinam istuc? quia vi coactis imperat: vbi aũt est vis, ibi voluntas abest. Quo fit, vt inuento quodam & arte Gyges in potestatem gentis vnius corpora redegerit, & et inuitæ: nec hominũ supra vicinos fortium, nisi contrarium quoq; dicendum est. Hoc vero nec honestũ, nec durabile: q̃ oppressi tyrannide, illam ad conditionẽ inuiti peruenerint. Quanq̃ & absq; his, quæ dicta sunt, si quis accurate rem considerabit, minime Gyges rex hominũ fuit: siquidem voluntas animi est: animus aũt ꝑprie est homo. At ille qui tyrãnus est, tantum aberat, vt oppressorum voluntates lucrifaceret: quanto magis cõsentaneũ erat, cum in odio esse omnib. & insidiis eorũ omnino peti. Hæc sc. illa tyrãnnidis bona sunt: quę cum ea simul & nascuntur, & augescunt quouis modo: & quãdo cum ea dissoluuntur, in fœdissimum quiddam desinunt. Enimvero si orationis huius forma atq; ratio simpliciter historiæ texẽdæ potestatem nobis concederet: multo rectius, q̃ modo, narrationib. institutis ꝑbare possem: & eum, qui magnam in auro fiduciã ponit, & qui se ferro ac populorum collectione magnopere iactat, & qui fretus est machinis, quiq; solis his animum adiicit, falli atque decipi. Verum quo-

niam hoc ab initio nō instituimus: sed tantum vti per comparationes ꝓbaremus, iis principibus, qui boni esse velint, ad perficiendum, quæ cupiāt, nihil sapientia melius esse: instituto nostro conuenire duximus, ne theatro molesti essemus, ineffabilem quendam numerum proferendo: nec citra modum his eorum historiis vteremur: ne ꝙ propositum a nobis est, in narrationum infinitarum quasi mare delatum, naufragium faceret. Ac recte quidem ad exitū id, ꝙ ab initio volebamus, deductū mihi videtur. Postq̃ enim viros hosce, velut exempla sumsimus omnium, eis similium: memoriæq; de ipsis ꝓdita, satis attigimus: omissis quæcunq; superuacanea forent, opportune mea quidem sentētia desistimus. Etenim recte fecimus, qui argēti examinatores imitati simus: quib. est in more, totū ex partē agnoscere: qua sane breui docendi via debere nos esse contentos arbitror. Si.n. illis, qui reb. omnib. longe ceteros anteire visi sunt, manifeste splendoris ad sacri nihil, quod aiunt, tandem rediit: ac nonnullis in cōtrariam quoq; partem cecidit: idq; ꝓpterea, ꝙ non syncere, nec recte virtutem sectarentur: multo minus inferiores alii, ꝓpter opes, & populi dominatū, & in seruitutem ab se, quacunq; tandem arte, redactos homines inuitos, vere beati esse videbuntur. Qua ꝓpter omissis historiis, quas percipere de iis potes, qui ea ex ꝓfesso tractāt, conandum nobis est, vt cum [illegible] viris, optimum illum virū comparemus, qu[illegible] statim ab initio peculiariter nobis ꝓpositu[illegible] prudentē inq̃ &

bonum,

bonum,& sapientem. Talis ergo rex, aut princeps omnino quorundã, forti & constanti pditus animo, quiq; subiectos imperio suo sic diligit, vti debet, & videre cupit eos in illis versantes, quib. meliores eorũ animi reddãtur; omnique qrit ratione, quib. reb. bene de ipsis mereri possit, ac deinde verbis etiam, & eloquẽtiæ vi flectit, vt ab omni psus arrogantia, sic ẽt dissimulatione alienus (etenim vtrumq; malũ est) vt sit, qualis est, & q vult, vt talis inq̃ bonorũ latere neminem pôt: quin, q ad ipsos attinet, & pater sit, & administrator. & amicus, & gubernator & pastor, & medicus & eiusmodi omnia. Nã & seruator eis erit, vtilis omnimodo, quouis tempore, quibusue casib. q & pfutura vniuersis melius q̃ ipsi omnes, intelligat, & magis hęc eis eueniri cupiat q̃ ipsi sibimet ipsis optẽt: ad pficiendum aũt id, q melius esse visum fuerit, ea pditus sit prudentia, tum studii, tum ingenii vi collecta: q̃ non facile vel accuratissime in vnum conflata simul omnium peritia, subditorum ire q̃ superauerit. Quapropter id nobis est existimandum, q existimare mente prędití necessario debent. Quid istud? si vere sint persuasi de principe subditi, quod pstans sit & egregius, tum suis, tum ipsorũ in negotiis; nihil esse impedimento, quo minus & multorũ & maximorum bonorum cõpotes fiant. Atque hęc de bonis & modestis hominib. pnuntio. Nam Iudæ, atq; aliis talib. ne ipsa quidem Seruatoris virtus, quæ cœlos operuit (vt Prophetæ verbis vtar,) pfuit. Hoc modo si res procedet, nec alterutro

Princeps bonus quis.

pede claudicabit, nequaquam lente bonum ad finē puenier: q̄ equidem nec vt hariolus, nec vt Propheta dico. Nā illud illius prisci Tiresiæ fuerit, hoc Dauidis regis. Mihi vero nolim alterum illud cōtingere, q̄ acceptum Deo nō sit: alterū vero, maximum sane quiddam est, sed supra nos esse positum, ne indicari qdem debet, cum pspicuū sit. Nec item de coniecturis colligimus, vt falli possimus. Euenire namque talia q̄uot iis, q de re quapiā ex coniecturis aliqd affirmant. Adducti vero rationib necessariis hoc dicimus: ac in hunc sane modum consideratio instituatur. Duæ res sunt, quarum rerū alterutra infelices vrbes erūt, (quippe si vitiis ambobus laborent, ne superit quidem eis, vt infelices sint, sed erunt q̄ primum pditæ) vel si fructum puidentiæ bonæ bonorum principum non pceperint, vel si eis parere non voluerint. Ac primum qdem illud est pdifficile, bonus vt omnino princeps inueniatur. Alterū vero pre necessarium quoq; dixerimus, vt Principe, q esse bonus agnoscitur, subditi & ipsi bono obtēperent. Nam si erga subditos & patris, & amicorū, & gubernatoris, & aliorū huiusmodi locū obtinet: quo pacto nō eos dicto audientes habebit, modo hoc de ipso recte no i? Omnino nanq; pastorem, & equariū, & armentariū, quocunq; prexerit, itineris ducem sequentur, quæcunq; animalia ipsius puidentia curaq; fruitura sunt. Itidem & gubernator nauis, & medicus, & quicunq; de aliis bene meretur, omnino psuadēdi vim ad eos habebunt, quos seruant. Nimirū vel

cæco

cæco paret (inquit Comicus ille) a quo te recēs pceptor tuus alios ad libros traduxit, futurū, vt tales subditi, si Deus alicuius peccati caussa non obstiterit, ab eiusmodi hero pbenigne tractētur, & verissima beatitudine potiant: idq; diuturnis tū sudorib. tum laborib. nec minus periculis illius: q cum eis certamina p eis suscipit, ac nauim perite moderat. Quippe si bonus princeps erga bonos subditos, hoc modo sit affect⁹: eosq; videat a suo nutu pendētes; ac principi tū cupientes, tum optantes faustissima quæq;, q d nō ille rei p. larę pfecerit? quo pacto non & ipsi sibi. & imperio parentib. maximorū bonorum auctor exstiterit; siquidē illum ad id, q pfuturum sit, recta gradientē via, cuncti sequant? qs nō ob generosum animum & mores, eum suspiciēs, in pcio supra res oēs habuerit, nisi valde insaniat? euidētissime deniq; patet, hos beatos esse. Arbitror aūt ipse, nec qspiam inficiabitur, caussam horum ad virtutem referendam; absq; qua si sit, aptum malum erit, q̄ felicitas esse videtur. Indignis.n. res psperę nocumento sunt. Neq; minus eloquētia studiis hæc sunt accepta ferenda, q̄ virtuti. Nā ea sunt, q mortalib. psuadēt, vt virtutis frui bonis velint: qppe si hoc facere nolint, nihil ex virtute cōmodi percipient, bonorum eius minime participes facti. Quo.n. hoc pacto cadat in inuitos? Quam ob rē bonus princeps, & q bonis aliquib. pest, ēt pceptis eloquentiæ recte instructus esse debet, vt suos impellere psuadendo possit ad ea, q̄ facere pstabit: ne bonus q dē ipse sit, & bonis imperet: at nihilo

minus contumaces experiatur: nec imperium detrectantib. in iis, quę ipsorum cōmodis seruitura ꝓspicit, q̄d q̄ vtilitatis afferat. Nā & medici, licet arte ꝑstantes sint, nisi sit ēt q̄dam in eis dexteritas, artemq; norint qua ꝑsuadeāt, vt ab eis exhibita medicamēta sumantur: ex omnib. fortasse nemini ꝓderunt. Arbitror.n. ante bonam opinionē ꝑcedere debere ꝑsuasionē: hanc vero facultatem eloquētiæ ꝑcedere: si q̄dem aliq̄s ab aliquo cōmodi q̄dpiam necessario ꝑcipere debet, q̄ eius imꝑtiendi tam facultatem, q̄ voluntatem habeat. Quamobrē clare patet, ab eloquentiæ vi tum ꝑsuasionem, tum opinionē bonā bonorū subditorum de bonis Principib. ꝓficisci: atq; hanc & auro, & magno exercitu, & machina, q̄ a nobis instituendæ caussa cōparationis in mediū ab initio sunt allata, Principib. vsu suo lōge ꝑstare. Itidem qui nunc a nobis pictura quasi quadam expressus est Princeps: cum ipsius bonæ spes ab egregiis in eo dotib. animi pendeāt, omnino ꝑstantior iis erit, q̄ facultatib⁹ extrariis innitunt̄, q̄ꝓ ab initio diximus. Itaq; recte facies, carissime Fili, si ita virtuti studeas, vt eloquentiæ studia nullo modo negligas: q̄ & simpliciter vtilia sunt, & ad res vtiles atq; bonas pl⁹ adiumēti, q̄ vlla res alia, mea q̄dē opinione, afferūt. Quod si ergo, q̄ dicta sunt, recte tibi dicta vident̄, amplectere decreta ꝑclara, nec q̄ admiraris negligito. Nā q̄ rem aliq̄ laudat, ac deinde negligenter eam curat, nec omni studio atq; ratione persequitur: amentiæ notam auferet, & a mente præditis optimo iure videbitur.

F I N I S.